


IOANNIS FREDERICI GRONOVII

NOTAE

IN

TERENTIUM

IN USUM SCHOLARUM

ACCURATE EDIDIT

CAROLUS HENR. FROTSCHER

PROF. LIPS.

ACCEDUNT INDICES COPIOSISSIMI

LIPSIAE 1833.

SUMPTUS FECIT ET VENUMDAT

CHRISTIAN. ERNESTUS KOLLMANN.

1864, Nov. 13.
Gray Fund.
67 cts.

VIRO SUMME REVERENDO

AMPLISSIMO ERUDITISSIMO

CAROLO AUGUSTO SCHRAMM

PHIL. D. ET AA. LL. M. APUD EYTHRANOS ET BOES-DORFIENSES SACRORUM ANTISTITI

ANTIQUARUM LITTERARUM AMATORI PERITISSIMO

HUNC QUALEMCUNQUE LIBELLUM PUBLICUM AMORIS ATQUE AMICITIAE SUAE TESTEM ESSE VOLUIT

CAR. HENR. FROTSCHER

PROOEMIUM

Ioannis Frederici Gronovii Notas in Terentium qui ante me edidit (Oxonii e theatro Sheldoniano MDCCL.) lectori multam ille salutem impertiens librum suum tradit atque commendat his verbis:

Notae quaedam Philologicae in Terentium, Ioannis Frederici Gronovii nomen prae se ferentes, e Codice MS. olim clarissimi Edvardi Bernardi, nunc in Bibliotheca Bodleiana adservato, descriptae, tibi in manus traduntur.

Opella Editoris in eo versata est, ut Citationes singulas ad Auctorum fidem exigeret, et certis numeris signaret.

Vale, et fave Libello in eum finem edito, ut Iuventuti purioris Latinitatis studiosae prodesset.

His ego quidem nihil habeo quod addam. Nam quibus dotibus Oxoniensem superet nova haec editio, facile iudicabunt, qui sunt ita morati, ut prae se probitatem quandam et ingenuitatem ferant. Inertes autem et malevolos censores, (anonymos esse et sine nomine, nunquam miror,) quorum (magno sane litterarum damno, magna item ipsorum qui ephemerides edunt ignominia,) maior in dies erumpit numerus atque importunitas, ut nihil curavi unquam neque posthac spectabo, ita rumpantur omnes per me facile licebit. Vos vero, quicunque mihi favetis, valete. Scrib. Lipsiae d. 3. mens. Iun. 1833.

Car. Henr. Frotscher.

IO. FRED. GRONOVII
NOTAE
IN
TERENTII ANDRIAM

PROLOG. Pag. 1. ed. Oxon.

Vs. 15. **Disputare in aliqua re.** Phrasis rarior, sed elegans pro eo, sermonibus aliquam rem iactare et infamare. Nam ipsum *disputare* ut plurimum Ciceroni est sermocinari, disserere solum, sine aliquo contradicente, ut pro Coelio cap. 19. *Scitote iudices, eas cupiditates, quae obiiciuntur Coelio, atque haec studia, de quibus disputo, non facile in eodem homine esse posse.* Laudaverat autem studium eloquentiae in Coelio. Sic post reditum in senatu cap. 4. *Ne quis ad vos referret, ne quis discerneret, ne disputaret, ne loqueretur.* Et eidem *disputare ad aliquid* est, de proposito themate disserere, Tusc. Quaest. lib. I. cap. 4. *Ponere iubebam, de quo quis audire vellet: ad id aut sedens aut ambulans disputabam.* eius operis lib. III. cap. 9. *Itaque non inscite Heracleotes Dionysius ad ea disputat, quae apud Homerum Achilles queritur.* *)

ACT. I. SC. I.

Vs. 9. **Iusta servitus,** non dura, tolerabilis; nam *iustus* interdum idem est quod facilis, levis, humanus, mi- 2
nime gravis. Sic Cic. fam. lib. I. ep. 4. *Eo die acerbum habuimus Curionem: Bibulum multo iustiorem, paene etiam amicum.* Sic contra *iniustus* pro duro, gravi, intolerando;

---

*) De hoc verbo pariter ac de singulis formulis verbisve, quae deinceps explicantur, cf. Ruhnkenii Dictata in Terentii Comoed. Mirum quantum ille profecit et in rem suam convertit ex his adnotationibus. FR.

sic Virg. Ecl. III. 33. *iniusta noverca;* et eidem *iniustus fascis* pro onere gravi et vix ferendo, Georg. lib. III. 346.

Non secus ac patriis acer Romanus in armis
Iniusto sub fasce viam cum carpit.

Vs. 13. **Mutare factum** est idem quod factum esse nolle, et quantum in se est infectum reddere; poenitentiam facti ostendere. Prorsus ut Terentius, Brutus ad Cic. ep. 4. *Illud non muto, quod est, quem occidere me res non coëgit, neque crudeliter vitam eripui, neque dissolute quicquam remisi, habuique in mea potestate, quoad bellum fuit.* hoc est, eius rei me non poenitet. Loquitur autem de Lucio Antonio, triumviri fratre. Similia sunt, illud Plauti Rud. III. 6. 25. *Equidem tibi me dixeram praesto fore apud Veneris fanum: quid multa? Sumne ibi?* i. e. qua in re promissum non praesto. Cic. pro Rabirio Post. cap. 9. *Fecerat temere, fateor: mutari factum iam nullo modo poterat.* Noster Adelph. IV. 7. 20. D. *Placet tibi factum, Mitio? M. si queam mutare: nunc, cum non queo, aequo animo fero.* Catull. XII. 7. *qui tua furta vel talento mutari velit.* i. e. qui vel talentum expendere vellet, si eo posset impetrare, ut tu non ita furatus sis.

3 Vs. 24. **Excedere ex ephebis** est ex adolescentia transire in virilem aetatem, in viros referri ac transcribi, ut loquitur Seneca. — *Ephebi* enim sunt adolescentes puberes. Plaut. in Prol. Merc. 40. vocat *ephebis aetate exire.* Romani dicebant, *togam puram* vel *virilem sumere.* Nam pueri habebant togas purpura praetextas, usque ad annum aetatis plus minus 16. Tum donantibus parentibus, aut cognatis, qui auctoritate praecellerent, induebant togas sine purpura, quas ideo dicebant puras, quia ex unius coloris, albi nempe, lana totae constarent. Suet. Aug. cap. 8. *Duodecimum annum agens aviam Iuliam defunctam pro concione laudavit, quadriennio post virili toga sumpta.* Cic. ad Att. lib. VI. ep. 1. *Quinto togam puram liberalibus cogitabam dare; mandavit enim pater.* Phaedrus: — *togamque puram iam pararet filio.*

Vs. 30. **Canes ad venandum** eleganti periphrasi dicuntur canes venatici. Sic apud Virg. Aen. lib. X. 253. *biiugique ad fraena leones,* pro fraenatis ante currum. Propert. lib. IV. eleg. IX. vs. 11. *Lygdamus ad cyathos,* i. e. Lygdamus pincerna. Nam *ad cyathos stare* est pincernam esse. Suet. Iul. cap. 49. *Sed C. Memmius etiam ad cyathum et vinum Nicomedi stetisse obiecit.* Tale est apud Virg. Aen. IX. 648. *fidusque ad limina custos,* pro ianitore.

4 Vs. 36. **Dedere se sodalibus** est facere omnia ad obsequium et gratiam illorum. Sic Eun. V. 8. 1. *Quid in-*

ceptas, Thraso? Th. *Egone? Ut Thaidi me dedam, et faciam quod iubeat.* Heaut. IV. 3. 3. *Dedo patri me nunc iam, ut frugalior sim.* Cic. pro Plancio cap. 30. *In qua ego homo astutus ei me dedebam, cui nihil magnopere deberem.* Quint. Cic. de pet. cons. cap. 9. *Quum vident unum esse aliquem, qui haec officia maxime animadvertat, ei se dedunt, deserunt ceteros.*

Vs. 43. **Commigravit huc viciniae.** pro quo vulgo diceremus, in hanc viciniam. Sic Plaut. Bacch. II. 2. 25. *proximae viciniae habitat.* i. e. aedes eius sunt nobis valde vicinae. Terent. Phormio I. 2. 45. *Modo quandam vidi virginem hic viciniae miseram, suam matrem lamentari mortuam.*

Vs. 55. **Captus est, habet.** Formula ex amphitheatro et gladiatorum ludis petita, qua utebantur, quum aliquem irretitum aut percussum ab adversario significabant, ut bene hic observat Donatus. Qua et nos possumus uti, quoties aliquem captum, vel deceptum, vel de aliquo actum esse significare volumus. Sic Senec. Herc. Oet. IV. 3. 1457. *habet, peractum est, quas petis, poenas dedit.* Idem alibi: 5
habet, peractum est, fata se nostra explicant. Prud. Psychomachia 121. *Hoc tibi habe, exclamat victrix regina.*

Vs. 61. **Symbolam dare** est dare portionem suam ad coenam vel compotationem, quam plures communi sumptu instituerunt. Ipsum illud, *communi sumptu coenare,* vocat Terentius *de symbolis esse,* Eun. act. III. 4. 2. nam *symbolae* sunt collectae seu pecunia sodalitium instituentium. Unde *symbolarum collatores* Plaut. in Curc. IV. 1. 13. pro frequentibus compotoribus. Et *condicere in symbolam* apud Plautum est nomen dare sodalitio, promittere te adfuturum compotationi vel coenae pro portione tua in sumptu. Stich. III. 1. 28. *Eo condicam in symbolam ad coenam.* Contra *asymbolus,* qui nihil ipse confert ac gratis interest. Ter. Phorm. II. 1. 25. *Tene asymbolum venire, unctum, atque lautum a balneis.* Gell. VI. cap. 13. *Taurus philosophus cum domum suam nos vocaret, ne omnino, ut dicitur, immunes et asymboli veniremus, coniectabamus ad coenulam, non cupedias ciborum, sed argutias quaestionum.* Aliud est *symbolus,* vel *symbolum,* quo veteres utuntur pro tessera, vel arra, vel pignore, interdum pro syngrapha, aut chirographo in contractibus. Plaut. Bacch. act. II. 3. 29. *Eo praesente homini extemplo ostendit symbolum, quem tute dederas, ad eum ut ferret, filio.* N. *Quid ubi ostendit sym-* 6
bolum? C. *Infit dicere adulterinum et non eum esse symbolum.* hoc est, esse literas falsas, supposititias, vel tesseram commentitiam. Pseud. II. 2. 3. *Ubi ille habitat leno, cui herus iussit symbolum me ferre et hoc argentum.* Quaeris

quis sit iste *symbolus*, vel quod *symbolum?* Explicatur inferius vs. 54. *Tu epistolam hanc a me accipe, atque illi dato. Nam isthic symbolus est inter herum meum et tuum de muliere.* Sic etiam *symbolos erigere* est lapides vel columnas erigere. Iustin. lib. II. cap. 12. *Themistocles, cum colloquendi copiam non haberet, quo appliciturі erant, symbolos proponi et saxis proscribi curat.* ubi tamen etiam potest de tabellis suspensis ad saxa intelligi.

Vs. 70. Laudare fortunas alicuius est praedicare aliquem beatum, laudare alicuius conditionem et statum. Sic Plaut. Rud. II. 6. 39. hominem naufragum et madidum introducit alloquentem ita arundinetum: *O scirpe, scirpe, laudo fortunas tuas, qui semper servas gloriam aritudinis.*

Vs. 75. Dicere diem alicui rei, v. g. nuptiis, est statuere vel constituere certum diem rei agendae. Sic in Eunuch. III. 4. 4. *Locus, tempus constitutum est. Praeter-*
7 *iit tempus, quo in loco dictum est; parati nihil est.* Caes. de bello Gall. lib. I. cap. 42. *Dies colloquio dictus est, ex eo die quintus.* Idem lib. V. cap. 27. *Omnibus hibernis Caesaris oppugnandis hunc esse dictum diem.*

Vs. 98. Percutere animum alicuius est, animadverti vel animum alicuius advertere, in suspicionem venire, suspicionem facere. Sic Cicero de orat. lib. II. cap. 87. *Utendum est imaginibus acribus insignitis, quae occurrere celeriterque percutere animum possint.* Loquitur autem de memoria artificiosa, quae per imagines fit. Idem ad Att. lib. IV. ep. 8. *Audivi ex Gavio hoc Firmano Romae esse hominem et fuisse assiduum, percussit animum.* Seneca ep. 71. *Hunc animum, quem saepe induunt generosae indolis iuvenes, quos alicuius honestae rei pulchritudo percussit.* i. e. admonuit, oculos illorum in se convertit.

ACT. I. SC. 2.

Vs. 4. Non sic abibit. Formula elegans comminantium vindictam aut aliquod malum. Sic Catull. XIV. 16. *Non hoc, non tibi, salse, sic abibit.* h. e. non feres impune, quod me delusisti. Auctor ad Heren. lib. IV. cap. 52. *Quin illum mihi datis, ac vos auribus meis opplorare non desinitis? Non abibit.* Ita hic quoque eleganter: *mirabar, hoc si sic abiret.* i. e. si hinc sine damno, aut malo, aut molestia evaderemus.

8 Vs. 15. Hoccine agis, an non? Formula iubendi aliquem attentum esse, serio agere, omittere lusum; desumpta ex more sacrorum, in quibus praeco, ut attentos faceret praesentes, solebat inclamare: *τοῦτο πράξατε, hoc*

agite. Seneca de Clementia I. cap. 12. eleganter alludit: *Cum in vicino ad aedem Bellonae sedens exaudisset conclamationem tot millium sub gladio gementium, exterrito senatu: hoc agamus, inquit, patres conscripti, seditiosi pauculi meo iussu occiduntur.* Sunt verba Sullae dictatoris, *hoc agamus*, i. e. curemus rem praesentem, et aliis non attendamus.

Vs. 17. Animum suum explere est affectibus parere, veluti facere ea, quae amor, quae vindictae cupido, quae ira, aut alius eiusmodi affectus dictat. Tale infra IV. 1. 16. *Atque aliquis dicat: nihil promoveris. Multum; molestus certe ei fuero, atque animo morem gessero.* Adelph. I. 1. 8. *Aut tete amare, aut potare, aut animo obsequi.* Plaut. Prol. Amphitr. vs. 131. *Pater nunc intus suo animo morem gerit; cubat complexus, cuius cupiens est maxime.*

ACT. I. SC. 3.

Vs. 14. Tollere liberos idem quod educare. Sic Hecyr. IV. 4. 82. *Nam puerum iniussu, credo, non tollent meo.* Pro eodem *suscipere* infra II. 3. 27. *Puerum nam* 9
pollicitus sum suscepturum. Cic. ad fam. V. ep. 16. *quum beatissimi sunt, qui liberos non susceperunt.* Hae phrases ortae sunt ex Graecorum more, quibus liberum erat, sive vellent educare liberos ex se natos, sive abiicere, et non alere, et alienae misericordiae exponere. Nempe infantes primum editi in terra ponebantur: unde in Sueton. Octav. cap. 5. dicitur *Caius Lectorius possessor soli, quod primum divus Augustus nascens attigisset.* et in Ner. cap. 6. dicit *Neronem fuisse natum exoriente sole, paene ut radiis, prius quam terra, contingeretur.* Hinc *cadere in terram* et *cadere matre* pro *nasci* dicit Statius Epicedio in filium, Sylv. V. 822.

Meus ille, meus tellure cadentem,
Excepi, et vinctum genitali carmine fovi.

Inde, cum in terra iaceret modo natus infans, si eum agnosceret pater et ali vellet, aut ipse tollebat, aut tolli iubebat; si nollet, relinquebat iacentem in terra, quem deinde servi extra aedes latum in loco publico abiiciebant; hi dicebantur *exponi*, illi *tolli.* Infra Heaut. IV. 1. 14. *Meministine me esse gravidam, et mihi te maximo opere dicere, si puellam parerem, nolle tolli.* Iustin. lib. XXIII. cap. 4. de Hierone, Siciliae tyranno: *Nam ex ancilla natus, et propterea a patre, velut dehonestamentum generis, expositus fuerat.*

ACT. I. SC. 5. 10

Vs. 10. Invenustus dicitur eleganter pro infortunato, et quod statim adiicitur, infelice. Sic vocabulum *venusta-*

tis itidem sumitur pro fortuna sive felicitate. In Hecyr. V. 4. 8. *Quis me est fortunatior, venustatisque adeo plenior?* Ratio haec loquendi inde est petita, quod in lusu talorum felicissimus iactus, quo quis omnia, quae posita erant, tollebat, dicebatur Latinis *Venus*, uti Graecis *Ἀφροδίτη*. Propert. lib. IV. eleg. IX. 19. 20.

Me quoque per talos Venerem quaerente secundos
Semper damnosi subsiluere canes.

Nempe quia *canis* iactus erat infelicissimus omnium. Sic et Horatius Carm. lib. II. Od. VII. 25.

Quem Venus arbitrum
Dicet bibendi.

Quia videlicet iactu talorum eligebant in convivio illum, quem dicit bibendi arbitrum seu magistrum convivii. Sic Lucius Sylla, qui Latinis dicebatur *felix*, Graecis idem vocabulum reddentibus appellatus *ἐπαφρόδιτος*.

ACT. II. SC. 1.

Vs. 15. **Prodere diem alicui rei, v. g. nuptiis,** est aliquam rem in longiorem diem vel longius tempus differre. Pompeius Festus de verb. signif. 52. lib. XVI. *Prodidisse non solum in illis dicitur, qui patriam hostibus prodi-*
11 *derunt, sed etiam tempus longius fecisse. Ut Cato: Te Caii Caecilii diem prodidisse militibus legionis tertiae, cum proditionem non haberes.* Dicitur autem magistratus S. R. *habere proditionem diei*, quomodo et *vocationem* et *prehensionem*, hoc est, prodendae diei, vocandi et prehendendi alicuius hominis ius. Idem dicebant *producere diem.* Cic. ad Quintum fratrem lib. II. ep. 3. *Honeste discessimus, producta dies est in quartum idus febr.* eadem epist. *Clodius in quirinalia produxit diem ad id. febr.* Liv. lib. XXXVIII. cap. 52. de Scipione Africano: *Quum invidiam et certamina cum tribunis prospiceret, die longiore producta, in Liternium concessit; certo consilio, ne ad causam dicendam adesset.* Terentius idem dicit *movere* And. III. 2. 36. *Hoc nisi fit, nihil moventur nuptiae.* h. e. differuntur. et *promovere* IV. 2. 28. *Non satis habes, quod tibi dieculam addo quantum huic promoveo nuptias?* i. e. efficio ut differantur. Denique *proferre* hac scena 31. *Saltem aliquot dies profer.*

ACT. II. SC. 2.

Vs. 11. **Obtundere.** Verbum, quo saepe utebantur in vulgari sermone, significantes aliquem sibi molestum esse, instando, urgendo, idem repetendo. Sic Eun. III. 5. 5. *Qui me sequatur, quoquo eam, rogitando obtundat, enecet.* Hecyr. I. 2. 48. *Tundendo atque odio denique effecit senex.*

Heaut. V. 1. 16. *Ohe, iam desine Deos, uxor, gratulando obtundere.* Sic Auctor ad Herenn. lib. IV. 40. 52. *Quid* 12
nunc ego de meis propriis meritis praedicem? Si meministis, obtundam: sin obliti estis; cum te nihil egerim, quid est, 11
quod verbis proficere possim? Cic. ad fam. lib. V. ep. 14. *Cupio non obtundere te, si non delectare nostro studio.*

Vs. 36. Videre eleganter pro, providere, curare atque adhibere ea, quae sunt necessaria. Sic Heaut. IV. 2. 3. *Haud multum a me aberit infortunium, nisi aliquid video, ne esse amicam hanc gnati resciscat senex.* Cic. de orat. lib. III. 1. *Philippum dixisse constabat, videndum sibi aliud esse consilium, illo senatu se rempublicam gerere non posse.* Idem ad fam. lib. VII. epist. 20. *Mea negotia videbis, meque ante brumam exspectabis.*

ACT. II. SC. 3.

Vs. 18. Minuere quae facimus est mutare, desistere incepto. Sic *minuere consilium* in Hecyr. IV. 3. 10. *Sed non minuam meum consilium; ex usu quod est, id persequar.* Non aliter *minuere iram* pro auferre, tollere. Phorm. II. 2. 88. *Minue vero iram.* Sic *minuere opinionem.* Cic. de orat. lib. III. 52. *Omninoque perficiendum est, ut haec opinio minuatur.* Caes. lib. III. 1. de bello civili: *Hoc et ad timorem novarum tabularum tollendum minuendumque.* Sic *minuere controversiam* est tollere, extinguere. Caes. lib. V. 26. de bello Gall. *Habere sese, quae de re communi* 13
dicere vellent, quibus controversias minui posse sperarent. Idem lib. VI. 23. *Sed principes regionum atque pagorum inter suos ius dicunt, controversiasque minuunt.*

Vs. 26. Cautio est eleganter dicitur pro, cavendum est, providendum est. Sic Adelph. III. 3. 67. *Pisces ex sententia nactus sum: hi mihi ne corrumpantur cautio est.* Plaut. Pseudolo I. 2. 37. *I puer prae, ne quisquam pertundat crumenam cautio est.* Poenulo I. 3. 36. *Illic hinc iratus abiit, nunc mihi cautio est, ne meapse culpa meo amori obiexim moram.*

ACT. II. SC. 4.

Vs. 7. Commutare verba cum aliquo est certare, contendere, iurgari. Sic autor in Phorm. IV. 3. 32. *Si tu aliquam partem aequi bonique dixeris, ut ille est bonus vir, tria non commutabitis verba hodie inter vos.* Potest et simpliciter pro *colloqui* accipi. Sic annotat ex Claudio Quadrigario Gellius XVII. 2. *Putabant eos, qui in arce erant, inter se commutationes et consilia facere.* ubi com-

mutationes ipse explicat *collationes communicationesque*, idque *dictum* ait *non inscite nec ineleganter.*

4 ACT. II. SC. 5.

Vs. 12. **Excidere uxore**, perdere et carere ea, quam vel habueris, vel spe destinaveris uxorem. Sic verbum *excidere* apud Suetonium in phrasi iurisconsultorum, *excidere formula*, pro, perdere actionem, vel ius agendi cum aliquo, Claud. cap. 14. *Nam et iis, qui apud privatos iudices plus petendo formula excidissent, restituit actiones.*

ACT. II. SC. 6.

Vs. 22. **Aequales** dicuntur eiusdem aetatis aut temporis homines. [quos nostri Cicerones *coaequales*, *coaetaneos* vel *coaevos* vocant. FR.] Sic Eunuch. II. 3. 35. *Patris cognatum atque aequalem Archidemidem nostin'?* Heaut. III. 1. 8. *Ut filium meum amico atque aequali suo video inservire.* Adelph. III. 4. 20. *Nostrum amicum noras Simulum atque aequalem?* Sic Cic. lib. 1. 20. de divinatione: *Ut scriptum apud Philistum est, et doctum hominem et aequalem temporum illorum.* hoc est, qui illis ipsis temporibus vixit. Idem de finibus lib. V. 22. *Quos, illi* (pueri) *labores non perferunt, ut aequalium principes sint.*

Vs. 27. **Esse alicui rei caput**, praecipuum auctorem, inventorem. Sic Adelph. IV. 2. 29. *Idem quod ego sensit, te esse huic rei caput.* Plaut. Asinaria III. 3. 138. *Ego caput huic argento fui hodie reperiundo.*

15 ACT. III. SC. 1.

Vs. 15. **Iuno Lucina fer opem.** Vox parturientium et invocantium opem Dianae, quam sub Iunonis nomine Lucinae sive Ilithyiae putabant praesidere partui. Vox ipsa exstat infra, et in Adelph. III. 4. 40. *Miseram me! differor doloribus, Iuno Lucina, fer opem, serva me, obsecro.* Plaut. Aul. IV. 7. 11. *Perii mea nutrix, obsecro te, uterum dolet, Iuno Lucina tuam fidem!* Idem Trucul. II. 5. 23. *Date mihi huc stactam* (genus est odoris) *atque ignem in aram, ut venerem Lucinam meam.* Horat. Carm. Saec. 13.

Rite maturos aperire partus
Lenis Ilithyia, tuere matres,
Sive tu Lucina probas vocari.

Sic apud Statium in Lacrimis Hetruscorum *bis intrasse Lucinae larem* dicitur, hoc est, bis matronam peperisse.

ACT. III. SC. 2.

Vs. 4. **Dare alicui bibere.** Ita malebant veteres loqui, quam *dare potum.* Sic non solum Cato et Plautus, ille quidem in lib. de re rustica 104. *Meridie dato bibere,* alter in Pers. V. 2. 40. *Bibere da usque plenis cantharis;* sed et Liv. lib. XL. 47. *Ut bibere sibi iuberet dari,* et Cic. lib. I. Tusc. Quaest. 26. *Nec Homerum audio, qui Ganymedem ab Diis raptum ait propter formam, ut Iovi bibere ministraret.*

Vs. 42. **Id spero adiutores Deos, vel, adiutorem** 16
Deum. id est, spero in hac re nobis adiutorem vel auxiliatorem futurum Deum. Est autem dictum per Graecismum *adiutor id* pro *adiutor ad id.* Sic in Adelph. V. 8. 16. *Idne estis auctores mihi?* pro, idne suadetis mihi, vel, ad idne faciendum estis auctores mihi? [Nihil de hac loquutione dictavit Ruhnken. Quippe legebat *adiuturos* pro *adiutores.* FR.]

ACT. III. SC. 3.

Vs. 6. **Per ego te Deos oro.** Observandum hic, veteres eleganter in precando solitos fuisse inter praepositionem *per* et adiunctum ei nomen aliud vocabulum et imprimis pronomina *ego* et *vos* interponere. Sic Plaut. in Mostell. III. 2. 57. *Nunc te ego per genua obsecro.* Liv. XXIII. 9. *Per ego te, fili, quaecunque iura liberos iungunt parentibus, precor quaesoque.* Seneca in Tragoediis: *Per te parentis memoriam obtestor mei.* [Electrae verba haec sunt in Agamemn. act. V. 929.] Curt. lib. V. cap. 8. *Per ego vos decora maiorum oro et obtestor.*

Vs. 30. **Emergere sese ex malis.** Notandum hic verbum *emergere* cum casu verbi transitivi usurpari. Sic Cic. Har. resp. XXXV. *Tum se emergit, et fertur illuc.* Cornel. Nep. in vita Attici XI. *Quibus ex malis ut se emersit.* Apulei. in Apologia V. 33. 4. *Veritas olim interversa* 17
nunc se effert et velut alto barathro calumniae emergit.

Vs. 41. **Claudi alicui commodum in aliquo.** Duae sunt lectiones et interpretationes huius loci. Alii simpliciter accipiunt *claudi* pro *non patere, reclusum, haud impetrabilem esse.* Sic *omne commodum mihi in illo clausum est* foret, nullum ab eo mihi commodum est sperandum. Sic et accipiunt in Eun. I. 2. 84. *Nunc ubi meam benignitatem sensisti in te claudier?* erga te non patere. Idque confirmant imitatione Cic. lib. II. de Offic. 15. *Nec ita claudenda res est familiaris, ut eam benignitas aperire non possit, nec ita reseranda, ut pateat omnibus.* Alii utroque loco

Terentii legunt *claudere,* quod antiquis usurpatum pro *claudicare.* Dicebant enim utraque coniugatione *claudeo* et *claudo* significatione eadem. Caecil. Epiclero 29. *An ubi vos sitis, ibi consilium claudeat?* Sallust. in orat. Macri Licinii Fragm. 467. *Neque enim ignorantia res claudit.* et idem alibi: *Nihil socordia claudebat.* Plin. lib. XVIII. cap. 33. [cap. 76.] *Clodunt ita lippiuntve ab afflatu, et alvo cita pereunt.* Volunt et Ciceronem dixisse Tusc. Quaest. lib. V. 8. *Beatam vitam, etiamsi ex aliqua parte clauderet, tamen ex multo maiore parte obtinere nomen suum.* Est autem his omnibus locis (praeterquam Plinio, cui pro-
18 prie et sine figura accipitur) mancum esse, deficere, ut homines claudi membro deficiuntur.

ACT. III. SC. 4.

Vs. 21. **Proficisci** non tantum significat longinquum fortassis iter facere, aut peregre ire, sed simpliciter prodire, ire aliquo, etiamsi non sit longius, quam ad proximas aedes. Sic Plaut. Aul. I. 2. 40. *Nunc quo profectus sum, ibo.* Idem Rud. III. 6. 9. *Cum ad me profectus.* Trucul. I. 2. 104. *Iam hic ero, prope est, profecta quo sum.*

ACT. III. SC. 5.

Vs. 11. **Impeditum esse alicuius consiliis** est idem quod irretitum, quasi in pedicas coniectum, implicitum. Sic Phorm. II. 3. 2. *Quanta me cura affecit natus, qui me et se hisce impedivit nuptiis.* Plaut. Epid. I. 1. 79. *Neque ego nunc scio, quomodo me expeditum ex impedito faciam.* Milite IV. 9. 11. *Ipsus illic sese iam impedivit in plagas.*

ACT. IV. SC. 1.

Vs. 4. **Comparare commoda sua** eleganter ponitur pro simplici parare, quaerere vel acquirere. Sic Plaut. Casin. II. 8. 69. *Tribus non conduci possim libertatibus,*
9 *quin ego illis hodie comparem magnum malum.* Epid. I. 2. 19. *Nisi hodie prius comparassit mihi quadraginta minas.* i. e. confecerit. [Conf. quae adnotavit Bremius ad Corn. Nep. Alcib. X. 3. FR.]

Vs. 5. **Verum esse** interdum idem est quod *aequum, iustum esse.* Sic apud Horat. epist. I. 7. 98.

Metiri se quemque suo modulo ac pede, verum est.

[Cf. Heindorf. ad eiusd. Sat. II. 3. 208. FR.] Cic. in orat. pro domo sua 8. *Sed quid ad te, qui negas verum esse, quemquam ulli reipublicae extra ordinem praefici?* Liv. lib. III. 40. *Ceterum neminem, maiore cura occupatis animis, verum esse, praeiudicium rei tantae afferre.* Idem

lib. XXXV. 8. *Quum etiam verius esset, Tito Sempronio imperium habenti tradi exercitum, quam legato.*

Vs. 27. Capere de aliquo exemplum est imitari aliquem, facere id, quod ille fecit. Sic Plaut. Mostell. I. 2. 21. *Aedes quum sunt paratae, laudant fabrum, atque aedes probant; sibi quisque inde exemplum expetunt.* Noster Adelph. III. 3. 63. *Inspicere, tanquam in speculum, in vitas hominum iubeo atque ex aliis sumere exemplum sibi.*

Vs. 48. Parum procedere, infeliciter evenire. Sic Adelph. V. 6. 9. *Meditor esse affabilis, et bene procedit.* Plaut. Amphit. I. 2. 1. *Bene prospereque hoc hodie operis* 20
processit mihi. Poenul. IV. 1. 1. *Exspecto quo pacto meae technae processurae sient.* Sall. Cat. cap. 32. *Quod neque insidiae consuli procedebant, et ab incendio intelligebat urbem vigiliis munitam.*

ACT. IV. SC. 2.

Vs. 11. Adiurare per Deos. Hoc verbo vulgus utitur active, pro, rogare aliquem iureiurando, vel, rogare ut dicat, quod ausit confiteri diis testibus. Sed veteres nunquam eo vocabulo aliter utuntur, quam pro simplici *iurare.* Sic Plaut. Cistell. II. 3. 27. *Eam suam esse filiam, seque eam peperisse sancte adiurabat mihi.* et paulo post 40. *Donec se adiurat anus eam mihi monstrare.* Liv. XLIII. 14. *Ut praeter commune omnium civium iusiurandum haec adiurarent.* [Cf. Virg. Aen. XII. 816. et Fronton. Tom. II. pag. 489. ed. Mediol. FR.]

ACT. IV. SC. 4.

Vs. 8. Liquido iurare est vere et salva conscientia et sine fraude iurare. Ovid. ex Ponto lib. III. epist. 3. vs. 49.

Scis tamen, ut liquido iuratus dicere possis,
Non me legitimos sollicitasse toros.

Idem lib. IV. epist. 6. vs. 21.

Te quoque idem, liquido possum iurare, precari.

Seneca de benef. lib. VII. cap. 9. *Video sericas vestes, si vestes vocandae sunt, in quibus nihil est, quo defendi aut* 21
corpus aut denique pudor possit, quibus sumptis mulier parum liquido, nudam se non esse, iurabit. Tale est in Eunucho II. 3. 39. *Illum liquet mihi deierare, his mensibus sex septem prorsum non vidisse proximis.* i. e. possum salva conscientia iurare. Sic etiam *confirmare liquido.* Cic. in Verr. IV. 56. *Confirmare hoc liquido, iudices, possum, valvas magnificentiores, ex auro atque ebore perfectiores, nul-*

las usquam ullo tempore fuisse. Sic in contrarium *liquido negare* est apud Ciceronem ad fam. lib. XI. ep. 27. *Alia sunt, quae liquido negare soleam.*

ACT. IV. SC. 5.

Vs. 6. **Quid illic hominum litigant?** Locutio notabilis propter syntaxin. Videtur autem fuisse idiotismus seu ratio loquendi vulgo admodum recepta. Nam et sic loquitur Plaut. in Poenulo III. 3. 5. *Sed quid huc tandem hominum incedunt? ecquidnam afferunt?* Habent autem illa *quid hominum* vel *tantum hominum* collectivorum naturam, idemque significant quod *multi homines.*

Vs. 28. **Facinus animadvertendum,** id est, puniendum, pro quo supplicium debetur. Hoc enim dicebant
22 *animadvertere.* Cic. in Verr. I. 17. *Magistratus Sicyonium nummos poposcit. — Cum ille non daret, animadvertit. — Genus animadversionis videte. — Ignem ex lignis viridibus atque humidis in loco angusto fieri iussit: ibi hominem ingenuum — fumo excruciatum semivivum reliquit.* Cic. in Verr. II. 23. *Non et in eum, qui accepisset, animadvertisse debuit, et in eos, qui dedissent? Tu, qui institueras in eos animadvertere, qui perperam iudicassent, — hos pateris impune discedere, qui ob tuum iudicium pecuniam aut dandam aut accipiendam putarant?* Flor. lib. III. cap. 21. §. 23. *Stricti enim et in pace gladii, animadversumque in eos, qui se sponte dediderant.* Idem lib. IV. cap. 1. §. 10. *De supplicio agentibus, Caesar parcendum dignitati, Cato animadvertendum pro scelere censebat.* [De hoc verbo nihil hic adnotavit Ruhnken. FR.]

Vs. 43. **Iocularium in malum incidere,** per risum et iocum devenire in summum periculum. *Iocus* diminutivus est *ioculus.* Unde apud Plautum *ioculo dicere.* Merc. V. 4. 33. *Si hercle scivissem, sive adeo ioculo dixisset mihi, se illam amare, nunquam facerem ut illam amanti abducerem.* Trucul. I. 2. 11. *Custodem oblectent per ioculum et ludum.*

Vs. 56. **Fieri natura** dicuntur interdum, quae per
23 se, sua sponte, nulla ratione, mente, consilio, nulla manu aut arte fiunt. Itaque haec duo, *naturam* et *casum,* malunt coniungere veteres. Auct. ad Herenn. lib. III. cap. 7. *In vituperatione, si erunt haec corporis commoda, male his usum dicemus, quae casu et natura, tanquam quilibet gladiator, habuerit.* Sic etiam *nativum malum* dicitur apud Ciceronem pro fortuito, eique contrarium ponitur *malum delatum,* quod scilicet studio et consilio existit. In orat. pro domo 5. *Quid? si utrumque fuit, et ut fames stimularet*

homines, et tu in hoc ulcere, tanquam unguis, exsisteres: nonne fuit eo maior adhibenda medicina, quae et illud nativum et hoc delatum malum sanare posset? Nativum malum vocat famem et annonae caritatem; *delatum*, seditionem et turbas, quas occasione istius famis stimulando plebem excitavit Clodius. [Ruhnk. sequutus h. l. est lectionem *ut fert natura.* FR.]

ACT. IV. SC. 6.

Vs. 4. Morte alicuius lege ad aliquem redire dicuntur, quorum quis legitimus heres est, vel citra testamentum defuncti. Sic *lege fieri* dicuntur quaecunque fiunt secundum praescripta legum et iuris. Hecyr. I. 2. 97. *Moritur cognatus senex, horum ea ad hos redibat lege hereditas.* Phorm. I. 2. 66. *Si uxorem velit, lege id licere facere, sin aliter, negat.* Cicero in Verr. lib. I. cap. 45. *Minucius quidam mortuus est ante istum praetorem. Eius testamentum erat nullum. Lege hereditas ad gentem Minuciam veniebat.*

Vs. 16. Lites sequi eleganter dicitur pro: in foro 24
actionibus et controversiis detineri. Sic Adelph. II. 2. 40. *Immo hercle quaeso, Syre; utut haec sunt facta, potius quam lites sequar.* Phorm. II. 2. 61. *Etsi facta mihi iniuria est, verumtamen potius quam lites secter, aut quam te audiam; — abduce hanc, minas quinque accipe.*

Vs. 22. Obtinere antiquum est retinere, servare pertinaciter, tenere veterem suum morem. Sic Plautus in Milite II. 2. 30. *Volo. hoc dicito: Paret artem et disciplinam, obtineat colorem.* id est, ne erubescat, ne pudefiat rubore suffusa. Sic apud Livium lib. III. cap. 36. *Perpetuoque decemviratu possessum semel obtinerent imperium.* Idem lib. VII. cap. 18. *Si quod duorum hominum virtute partum sit, id obtinere universi non possint.* Noster Adelph. V. 3. 26. *Eandem illam rationem antiquam obtine.* [Cf. Goeller. ad Plaut. Trinum. pag. 80. FR.]

ACT. V. SC. 1.

Vs. 3. Illudere vitam alicuius est aeternum ludibrium et perpetuum dedecus atque ignominiam alicui afferre. Velut hic Chremes: *Dum studeo obsequi tibi, illusi vitam filiae.* eo illam redegi, ut in omni vita cum summa sua miseria aliis ludibrio et deridiculo esset.

Vs. 5. Beneficium verbis initum re comprobare, 25
id est, quod promiseris re ipsa praestare. *Initum* est inceptum, sed et *gratiam inire* pro *promereri* dicimus.

Vs. 15. **Inducere animum** pro, persuadere sibi aut certo credere. Sic hic: *Ne illis in animum inducas credere.* i. e. ne tibi persuadeas, ne credas illud credendum esse. Sic Eunuch. III. 2. 37. *Qui huic animum assentari induxeris:* i. e. qui tibi imperaveris, vel, quod hoc a te impetraveris, ut velis tali homini assentari. Heaut. Prol. 49. *Eum esse quaestum in animum induxi maxumum, quam maxume servire vestris commodis.* hoc est, ita persuasus sum, ita credo, certum habeo. Fab. eadem V. 4. 5. *Obsecro, mi gnate, ne istuc in animum inducas tuum, alienum esse te.* Cic. ad fam. lib. IV. epist. 8. *Ut, quod ego facio, tu quoque animum inducas: si sit aliqua res publica, in ea te esse oportere principem.* [Cf. Ruhnk. ad sc. 3. vs. 12. et III. 3. 40. FR.]

ACT. V. SC. 2.

Vs. 4. **In vado esse** proprie dicuntur, qui cum in aqua fuerint in periculo submergendi, nanciscuntur locum minus profundum, in quo stare ac pedibus niti ac se sustinere possint. Illi igitur, qui hoc modo servantur, et periculum evitant; inde factum, ut res *in vado esse* dicatur, cum est in tuto, cum est extra periculum. Plaut. Rud. I. 2. 81. *Salvae sunt, si illos fluctus devitaverint. — At in vado est, iam facile enabit.* Aulul. IV. 10. 73. *Haec propemodum iam esse in vado salutis res videtur.* Eodem sensu dixit superius Noster III. 1. 22. *Ego in portu navigo.*

26

ACT. V. SC. 3.

Vs. 20. **Invenire uxorem.** Phrasis hac in re propria. Sic supra II. 3. 22. *Uxorem his moribus dabit nemo: inopem inveniet potius, quam te corrumpi sinat.* III. 3. 39. *Tibi generum firmum et filiae invenies virum.* [ubi cf. Ruhnk. FR.] Suet. Caligul. cap. 25. *Alii tradunt, Caligulam adhibitum coenae nuptiali - - - abduxisse sponsam secum et proximo die edixisse, matrimonium sibi repertum exemplo Romuli et Augusti.*

Vs. 21. **Viceris.** Verbum proprium per iram aliquid concedentis. ut apud Suet. in Iul. cap. 1. *Satis constat, Syllam proclamasse: 'Vincerent ac sibi haberent: dummodo scirent, eum, quem incolumem tantopere cuperent, quandoque optimatium partibus exitio futurum.* Caes. de bello Gall. lib. V. cap. 30. *Hac in utramque partem habita disputatione, quum a Cotta primisque ordinibus acriter resisteretur: Vincite, inquit, si ita vultis, Sabinus, et id clariore voce,*
27 *ut magna pars militum exaudiret.* Ovid. Met. lib. VIII. 509. *Me miseram! male vincetis; sed vincite fratres.*

Vs. 28. Adlegare vel allegare aliquem, et in bonam et in malam partem sumitur: in bonam significat, mittere ad aliquem sequestros, pararios, proxenetas; in malam, submittere fraudulente, subornare. In priorem partem accipitur apud Liv. lib. XXXVI. 11. *Amore captus (Antiochus) virginis Chalcidensis Cleoptolemi filiae, quum patrem primo allegando, deinde coram ipse rogando fatigasset.* Cic. de petit. consul. cap. 1. *Hi rogandi omnes sunt diligenter et ad eos allegandum.* Id. in Verr. lib. I. cap. 51. *Cum sibi omnes ad istum allegationes difficiles, omnes aditus arduos ac potius interclusos viderent.* pro Rosc. Amer. IX. 25. *Nam statim Chrysogonus et ipse ad eos accedit, et homines nobiles allegat iis, qui peterent, ne ad Sullam adirent et omnia Chrysogonum, quae vellent, esse facturum pollicerentur.* In malam partem hic apud Terent. *Ne credas a me allegatum hunc senem.* i. e. submissum, subornatum, emissarium meum esse. Plaut. Casin. Prolog. 52. *Pater allegavit villicum, qui posceret sibi istam uxorem. — Filius autem armigerum allegavit suum, qui sibi eam uxorem poscat.* et in argumento eiusdem: *Conservam uxorem conservi duo expetunt: alium senex allegat, alium filius.*

ACT. V. SC. 4. 28

Vs. 10. Conglutinare nuptiis meretricios amores est inducere adolescentes ut meretrices ducant uxores. Verbum hoc est valde et eleganter amatum Ciceroni. Sic de orat. lib. I. cap. 42. *Adhibita est igitur ars quaedam extrinsecus ex alio genere quodam, quae rem dissolutam divulsamque conglutinaret, et ratione quadam constringeret.* Phil. III. 11. *Quid est in Antonio praeter libidinem, crudelitatem, petulantiam, audaciam? Ex his totus conglutinatus est.* de Senect. cap. 20. *Ut navem, ut aedificium idem destruit facillime, qui construxit, sic hominem eadem optime, quae conglutinavit, natura dissolvit.* Cornificius ad Herenn. lib. II. 3. *Si dicet pecuniae caussa fecisse, ostendet eum semper avarum fuisse, si honoris, ambitiosum: ita poterit animi vitium cum caussa peccati conglutinare.*

Vs. 21. Applicare se ad aliquem est dare se in clientelam alicuius, in consuetudinem et familiaritatem alicuius venire, insinuare se alicui. Sic Heaut. II. 4. 13. *Cuius mos maxime est consimilis vestrum; hi se ad vos applicant.* Plaut. Menaech. II. 2. 67. *Rogant cuiatis sit, quid ei nomen siet. Post illae extemplo se applicant, agglutinant.* Ennius in Fragm. ex Androm. *Quo accedam? Quo applicem? Quoi neque patriae arae domi stant* etc. [Cic. Tusc. III. 19. 44.] Cic. de orat. lib. I. cap. 39. *Qui Romam in exilium* 29

venisset, cui Romae exsulare ius esset, si se ad aliquem quasi patronum applicasset, intestatoque esset mortuus, nonne in ea caussa ius applicationis, obscurum sane et ignotum, patefactum in iudicio atque illustratum est a patrono?

Vs. 23. Obturbare est obloqui, interpellare alterius sermonem. Plaut. Poen. I. 2. 49. *Sine tamen: ne me obturba, ac tace.* Plin. lib. IX. ep. 13. *Incipit respondere Veiento: nemo patitur; obturbatur.*

Vs. 34. Quid illo sit factum. Observandus sermo propter syntaxin. Sic enim amabant loqui pro eo: quid de illo sit factum. Sic apud Plaut. in Epid. I. 2. 48. *Quid illa fiet fidicina igitur?* in Aulul. IV. 10. 46. *Tum me faciat, quod vult magnus Iupiter!* Phorm. I. 2. 87. *O Geta, quid te futurum est?* Lucil. Satyr. lib. 18. *Quid me fiet, siquidem non vis te improbis committere.* Cic. in Verr. lib. I. 16. *Quid hoc homine faciatis?* [Cf. Ruhnken. ad III. 5. 8. FR.]

Vs. 37. Mihi unus scrupulus etiam restat. *Scrupi dicuntur veteribus*, inquit Festus [libro XIX. pag. 142.] *aspera saxa et difficilia contrectatu: unde scrupulosam*
30 *rem dicimus, quae habet aliquid in se asperi.* Huius diminutivum *scrupulus*, proprie lapillus, translate offensio, offendiculum, difficultas. Cic. ad Att. lib. I. ep. 18. *Domesticarum quidem sollicitudinum aculeos omnes et scrupulos occultabo.* lib. II. ep. 4. *Nummi potius reddantur, quam ullus sit scrupulus.* lib. X. ep. 14. *Odiosus scrupulus de filii militia Brundisina.* Sic etiam hic: *mihi unus scrupulus etiam restat.* i. e. una differentia, una in re haereo, una res me dubium et anxium facit. Sic *iniicere scrupulum* est alicui caussam dubitandi dare, molestiam creare. Suet. Claud. cap. 37. *Nullus auctor tam levis exstitit, a quo non mediocri scrupulo iniecto ad cavendum ulciscendumque compelleretur.* Sic in contrarium *eximere scrupulum* est levare aliquem dubitatione. Plin. lib. III. epist. 17. *Exime hunc mihi scrupulum, cui par esse non possum.* lib. VI. ep. 8. *Exime hunc illi ... scrupulum: sine me suavitate eius, sine leporibus perfrui.*

Vs. 38. Nodum in scirpo quaerere est difficultatem facere, ubi nulla est, tanquam absentem quaerere, quem in manu habeas. *Scirpus* est arundo. Festus lib. XIX. *Scirpus est id, quod in palustribus locis nascitur leve et procerum, unde tegetes fiunt; inde proverbium est in eas natum res, quae nullius impedimenti sunt, in scirpo nodum quaerere.* Ennius:

Quaerunt in scirpo soliti quod dicere nodum.

31 Plaut. in Aulul. IV. 1. 9. *Quasi pueris qui nare discunt, scirpea iaduitur ratis.* Utitur eo proverbio Plaut. Menaech.

1. 23. *In scirpo nodum quaeris. Quia nos hinc domum redimus, nisi si historiam scripturi sumus.*

ACT. V. SC. 5.

Vs. 8. **Gaudere solide gaudium aliquod** est idem
quod sincere, sine permixtione ullius doloris vel tristitiae.
Sic supra IV. 1. 23. *Non tibi satis esse hoc visum solidum
est gaudium, nisi me lactasses?* Sic *solidum beneficium* Eu-
nuch. V. 2. 32. *Ut eam non possim suis, ita ut aequom
fuerat — tradere, ut solidum parerem hoc mihi beneficium.*
hoc est, integrum, plenum, perfectum, cui nihil deesset.
Notanda quoque est illa locutio: *gaudere gaudium.* Sic Cic.
ad fam. lib. VIII. ep. 2. *In theatrum Hortensius introiit,
puto ut suum gauderemus gaudium.* Talia sunt: *Iurare ius-
iurandum.* Cic. ad fam. V. 2. *Magna voce iuravi verissimum
pulcherrimumque iusiurandum. Saltare saltationem.* Frag-
ment. ex oratione Scipionis contra Tiberium Gracchum:
*Quam saltationem impudicus servulus honeste saltare non
possit. Servire servitutem.* Plaut. Persa I. 1. 7. *Qui hero
suo servire volt bene servus servitutem. Coenare coenam,*
Rud. II. 6. 24. *Scelestiorem coenam coenavi tuam, quam
quae Thyestae quondam anteposita est et Tereo. Pugnare
pugnam.* Lucil. *Vicimus o socii, et magnam pugnavimu'
pugnam.* Vid. Plaut. Pseud. II. 1. 108. *Priusquam istam* 32
pugnam pugnabo. Sic et Gellius lib. XV. cap. 18. *Corne-
lius repente mota mente conspicere se procul dixit pugnam
acerrimam pugnari: cum Hannibal Poenus cum exercitu
in Italia esset, et aliquot pugnas populus Romanus adversus
pugnasset. Bellare bellum.* Liv. VIII. cap. 39. *Hoc bellum
a consulibus bellatum quidam auctores sunt. Nocere noxam.*
Idem lib. IX. cap. 10. *Quandoque hice homines iniussu po-
puli Romani Quiritium foedus ictum iri spoponderunt atque
ob eam rem noxam nocuerunt. Somniare somnium.* Plaut.
Mil. II. 4. 47. *At, Sceledre, quaeso, ut ad id exemplum
somnium quam simile somniavit!* Sic contra *vigilare vigi-
lias.* Gell. lib. XX. cap. 11. *Qui diu lectitando, scribendo,
commentando nunquam voluptates, nunquam labores ceperunt,
nullas hoc genus vigilias vigilarunt.* Idem *errare errorem*
lib. X. cap. 16. *Quos errores Iulius Hyginus in sexto Vir-
gilii animadverterit in historia Romana erratos. Ludere
ludum.* Noster Eunuch. III. 5. 38. *Et quia consimilem luse-
rat iam olim ille ludum.* [Cf. quae scripsi in adnot. ad
Xenoph. Hieron. II. 8. FR.]

ACT. V. SC. 6.

Vs. 3. **Nancisci malum.** Observandum hoc verbum in utramque partem usurpari, tam malam scil. quam bonam.

Sic Corn. Nep. in Att. cap. 20. [illegible] [illegible], q[illegible] [illegible] et ipse et [illegible] [illegible].

Vs. 11. Respicere aliquem in suis secundis, fortuna sua secunda [illegible] alicui benevolum [illegible] alicuius cu[ram] gerere. Sic Plaut. Bacch. IV. 3. 32. Fac modo, [illegible] aliquis respiciat. Pers. I. 2. vers. ult. [illegible] Idem Venerem credo facturam tibi. i. e. te respecturam a[c] adeo propitiam tibi futuram. Bacch. V. 2. 28. [illegible] h[illegible] [illegible] [illegible], [illegible] [illegible] [illegible]. Dii me [illegible] quos respiciunt. Sic [illegible] X. [illegible] 5.

Qui me respiciunt, [illegible] [illegible] [illegible].

i. e. qui mei curam gerunt, qui me non unquam [illegible] [illegible] aut [illegible]. [Cf. Ruhnk. ad IV. 1. [illegible] Heaut. I. 1. 15. FR.]

Vs. 13. Longum est brevius sed eleganter di[ctum] pro illo, nimis multum temporis intercedit. Sic Ci[c.] fam. lib. VII. ep. 3. *Hanc [illegible] [illegible] [illegible]; sed longius fiebat*, nobis per litteras [illegible]. Sic [illegible] [illegible] fam. ad lib. I. ep. 9. *[illegible] quae erat [illegible]* [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]. [Cf. quae dixi ad Quinctilian[um] I. IIB. FR.] Tale est [illegible] est in Eun. III. 5. *[illegible] ad me: ibi proximum est*, ubi [illegible] i. e. [illegible] est locus propior, in quo tibi tuam vestem mutare lice[t]

IO. FRED. GRONOVII
NOTAE
IN
TERENTII EUNUCHUM.

PROLOG. 34

Vs. 4. **Inclementer in aliquem dicere** est maledictis aliquem lacessere. Sic Plaut. Amphitr. II. 2. 110. *Iterum iam hic in me inclementer dicit, atque id sine malo.* Pseud. I. 1. 25. *Cur inclementer dicis lepidis literis, lepidis tabellis, lepida conscriptis manu.* Rud. I. 2. 26. *Peculiosum eum esse decet servum et probum — qui inclementer dicat homini libero.*

Vs. 7. **Male describere fabulam** est idem quod male ordinare, male disponere personas, actus, scenas. Sic veteribus eleganter accipitur verbum *describere* pro *ordinare, apte suoque loco distribute aliquid collocare.* Cic. ad Att. lib. I. ep. 1. §. 3. *Veruntamen videbare mihi tempora peregrinationis commodius posse describere.* Idem orat. III. in Catilinam cap. 4. *Ut, cum urbem omnibus ex partibus, quemadmodum descriptum distributumque erat, incendissent.* Q. Cicer. de pet. cons. 14. *Et si hominibus gratiosis studiosisque nostri suum cuique munus describimus.* et rursum 5. *Fac ut plane iis omnibus, quos devinctos tenes, descriptum ac dispositum suum cuique munus sit.* Sic *descripte* pro *ordinate*. M. Cicer. de inv. lib. I. cap. 30. *In* 35
praesentia tantummodo numeros et modos et partes argumentandi confuse et permixte dispersimus, post descripte et electe in genus quodque causae digeremus. [Ruhnk. Bentleii rationem sequutus est: *et easdem scribendo male.* FR.]

Vs. 15. **Defunctus esse** aliqua re dicitur, qui eidem satisfecit, qui aliquid agendo vel patiendo effecit, ut in posterum ab agendo vel patiendo liber ac solutus sit. Ita hic *defunctus iam sum* est passus iam omnia sum, quae patienda habui, nihil amplius ab eo metuendum est mihi. Cic. ad fam. lib. VIII. ep. 1. *Te ad IX. Kalend. Iun. dis-*

siparant periisse: et te urbe ac foro toto maximus rumor fuit a Q. Pompeio in itinere occisum. Ego non sum commotus, et hoc mendacio, si qua pericula tibi impenderent, ut defungeremur, optavi. i. e. ut ab iis periculis in posterum essemus liberi. Iustin. lib. I. cap. 5. *Quoniam defunctus sibi somnio videretur.* i. e. cum evenisse minas somnii, iam praeteritas neque amplius metuendas. Idem lib. XII. cap. 2. *Atque ita defuncti responso* (oraculi) *diu urbem possederunt.* Sic *mercede defungi* est idem quod liberum esse, neque amplius obligatum, cum mercedem dederis, apud Senecam de benef. lib. VI. cap. 16. *Quid ergo? quare et medico et praeceptori plus quiddam debeo, nec adversus illos mercede defungor?* [Simil. *plebes* Rom. dicitur *perfuncta gravissimis seditionibus ac discordiis* Cic. pro Sext. §. 104. FR.]

36 Vs. 22. Magistratus hic non dicitur de collegio virorum honoratorum, qui publice praefuerunt, ut nos vulgo accipimus, sed de uno homine, qui honorem gereret, veluti de aedile. Sic singuli consules, praetores aedilesque dicebantur *magistratus* populi Romani. Sic Caes. de bello Gall. lib. VII. cap. 55. *Convictolitanem magistratum magnamque partem senatus ad eum convenisse.* Senec. ep. 18. *Hoc certe in his epistolis ait, quas scripsit, Charino magistratu, ad Polyaenum.* hoc est, cum Charinus reipublicae praeesset, aut, Charino archonte; sic enim tum appellabantur Atheniensium magistratus. Plin. lib. XXXIII. cap. 37. *Theophrastus XC annis ante Praxibulum Atheniensium magistratum (quod tempus exit in urbis nostrae CCXLIX. annum) tradit inventum.*

ACT. I. SC. 1.

Vs. 2. Ita se comparare. eam inire rationem, sic agere, sic res suas instituere. Sic hac ipsa fabula II. 2. 9. *Quid, homo ignavissime, itane parasti te, ut spes nulla reliqua in te siet tibi?* Hecyr. I. 1. 11. *Quin ita paret sese, abs te ut blanditiis tuis quam minimo pretio suam voluptatem expleat.* Liv. lib. XXXV. cap. 23. *Aetolos ita se parare, ut sub adventum eius in armis essent.* [Simile Graec. παρασκευάζειν. FR.]

37 Vs. 24. Accusare hic est inter privatos culpare, reprehendere, ut Cic. de offic. lib. III. cap. 23. *Quid, si tyrannidem occupare, si patriam prodere conabitur pater? Silebitne filius? Immo vero obsecrabit patrem, ne id faciat, accusabit, minabitur etiam.* hoc est, non deferet eum ad magistratus et trahet in iudicium, sed verbis castigabit, obiurgabit. Idem de fin. lib. V. cap. 22. *Ut illi (pueri) efferuntur laetitia, cum vicerint! ut pudet victos! ut se accusari nolunt! quam cupiunt laudari!* Noster Hec. II. 1. 8.

Me miseram, quae nunc, quamobrem accuser, nescio. [De hoc verbo nihil hic adnotavit Ruhnkenius. FR.]

Vs. 34. Calamitas fundi dicitur eleganter pro unica et maxima causa mali. *Calamitas* enim, ut recte notat Donatus, proprie vocabulum rusticum, et sic grandinem appellabant rustici, ex eo quod comminueret calamum, hoc est culmum ac segetem. Et sic utitur Cato in libel. de re rustica cap. 114. [141. ed. Gesn.] ubi proponit preces rusticorum pro anni fertilitate: *Mars, pater, te precor, quaesoque ut sis volens, propitius mihi, domo familiaeque nostrae: uti morbos visos invisosque vastitudinemque, calamitates intemperiesque prohibessis.* Sic *calamitosa tempestas*, quae videlicet calamitatem faciat et culmos frangat, lib. XV. §. 2. Locati conducti. *Si vis tempestatis calamitosae contigerit, an locator conductori aliquid praestare debeat, videamus.* 38
Est igitur locutio allegorica, et *calamitas fundi nostri* appellatur is vel ea, qui quaeve in causa est, cur bona nostra intercipiantur, ad nos non perveniant aut manibus nostris eripiantur.

Vs. 35. Capere pro *frui*; verbum proprium de reditibus vectigalium nostrorum aut patrimonii. Cic. Parad. VI. 3. *Capit ille ex suis praediis sexcenta sestertia; ego centena ex meis.* hoc est, ille habet (inkomste oste rente) quindecim coronatorum millium vel scutatorum, et ego tantum duo millia quingenta habeo quotannis ex meis praediis. Suet. de illustr. Grammat. cap. 23. *Nec sufficeret sumptibus, quanquam ex schola quadragena annua caperet, ac non multo minus ex re familiari.* *Quadragena annua* sunt quotannis quadraginta millia sestertium nummum, quae faciunt nostra pecunia mille scutatos sive coronatos. Sic etiam *recipere* accipitur, Plaut. Pers. I. 1. 40. *Quin si egomet totus veneam, vix recipi potesit, quod tu me rogas.* h. e. non posset tantum pecuniae confici. Cic. pro Rab. Post. 13. *Itaque si aut praedes dedisset Gabinius, aut tantum ex eius bonis, quanta summa litium fuisset, populus recepisset; quamvis magna ad Posthumum ab eo pecunia pervenisset* etc.

ACT. I. SC. 2. 39

Vs. 2. Aliorsum, atque aliquid factum est, accipere, id est, in aliam partem, aliter, ut loquitur Heaut. II. 3. 23. *Aliter tuum amorem, atque est, accipis.* *Aliorsum* dicitur pro *alio versum* seu *versus aliam partem.* Sic omnia similiter composita: *dextrorsum* pro *dextram versus*, *sinistrorsum* pro *sinistram versus*, *sursum* quasi *sus versum*: nam veteres *sus* pro *supra* dicebant: *deorsum* pro *deversum*, *horsum* pro *huc versum* seu *ad hunc locum*, hac fab. II. 1. 13. *Mox noctu te adiget horsum insomnia.*

Vs. 51. **Avidior ad rem.** *Res* interdum accipitu pro re familiari seu patrimonio. Sic *rem amittere* II. 1 10. *Simul consilium cum re amisti?* hoc est, cum bonis. e versu 27. *Re salva et perdita*, i. e. cum bona haberem e ea amisissem. Sic *conficere rem* apud Cic. est bona absu mere, in orat. post redit. in Senatu 5. *qui cum suam re non minus strenue quam postea publicam confecisset.* Lu cret. lib. IV. 1117.

Labitur interea res et vadimonia fiunt.

Cic. II. in Catil. 5. §. 10. *Patrimonia sua profuderunt, for tunas suas abligurierunt; res eos iampridem, fides deficer nuper coepit.* Sic *in re bona* vel *magna esse;* contrariun
40 *in re tenui esse.* Cic. ex Enn. in lib. de senectute 1. *Ill vir haud magna cum re sed plenu' fidei.* Horat. epist. lil I. 20. [vs. 20.]

Me libertino natum patre et in tenui re.

Vs. 53. **Scire fidibus**, id est, scire canere testudin vel cythara vel alio musico organo, quod fidibus intend tur. Sic *docere fidibus* apud Ciceron. ep. ad fam. IX. 2 *Socratem fidibus docuit nobilissimus fidicen. Is Connus vo citatus est.* Sic etiam *discere fidibus* Cic. de senectute 8 §. 26. *Quod cum fecisse Socratem in fidibus audirem, ve lem equidem et illud: discebant enim fidibus antiqui: sed i literis certe elaboravi.*

Vs. 63. **Animum adiicere ad aliquid** est cupidit tem alicuius rei nancisci. Sic Plaut. Mil. III. 8. 35. *Atqu huius uxorem esse te volo assimulare.* Ac. *fiet.* Pa. *Qua militi animum adieceris, simulare.* Mercat. II. 2. 62. *Si praecauto opus est, ne ad illam me animum adiecisse aliqu sentiat.* Liv. lib. XXII. 22. *Circumspectis omnibus, qua fortuna potestatis eius poterat facere, obsidibus potissimun tradendis animum adiecit.* Idem lib. XXVIII. 33. *Scipi pro se esse loci angustias ratus — novo etiam consilio a iecit animum.*

41 Vs. 125. **Constituere alicui** breviter est conveni cum aliquo de loco, tempore et negotio, ubi, quando e quare coëatur. Heaut. IV. 4. 4. *Cum venturam dixero, constituero — decipiam ac non veniam.* Hecyr. I. 2. 12 *Nam constitui cum quodam hospite, me esse illum conve turam.* Iuvenal. Sat. III. 12.

Hic, ubi nocturnae Numa constituebat amicae.

hoc est, ubi Numa Pompilius, rex Romanus, cum amic sua nocturna, uti fabulantur, Nympha Egeria congredi batur. Idem VI. 486.

Nam si constituit, solitoque decentius optat
Ornari; et properat, iamque exspectatur in hortis.

hoc est, si promisit alicuo se esse venturam, puta in horto

ACT. II. SC. 1.

Vs. 8. **Ornare munus verbis.** adiicere beneficentiae humanitatem verborum. Sic Cicero de offic. lib. II. 20. *At vero ille tenuis gratum se videri studet; neque vero verbis auget suum munus, si quo forte fungitur, sed etiam extenuat.* Plin. epist. I. 8. §. 15. *Ii vero, qui benefacta sua verbis adornant, non ideo praedicare quia fecerint, sed ut praedicarent, fecisse creduntur.*

Vs. 14. **Opus facere** per excellentiam dicitur de labore rustico. Sic Heaut. I. 1. 21. *uod in ope e faciundo* 42
operae consumis tuae, si sumas in illis exercendis, plus agas. Quod hic *opus facere* dicit, id antea dixerat *fodere*, aut *arare*, aut *aliquid ferre* et *servorum officio fungi.* Adelph. IV. 1. 1. Ct. *Ain' patrem hinc abisse rus? S. Apud villam est: nunc cum maxime operis aliquid facere credo.* Cic. de senect. 7. §. 24. *Possum nominare ex agro Sabino rusticos Romanos, vicinos et familiares meos, quibus absentibus nunquam fere ulla in agro maiora opera fiunt, non serendis, non percipiendis, non condendis fructibus.*

ACT. II. SC. 2.

Vs. 3. **Mei loci atque ordinis homo.** eiusdem conditionis, eiusdem status, eodem vitae genere utens, quo ego. Sic vocabulum *locus* post paulo: *viden' me ex eodem ortum loco?* [vs. 10.] Q. Cic. de pet. cons. 4. *Petis enim homo ex equestri loco summum locum civitatis.* hoc est, equite Rom. natus. Liv. lib. XXII. 25. *Terentius Varro, loco non humili solum, sed etiam sordido ortus.* Idem lib. XXVI. 6. *Seppius Lesius loco obscuro tenuique fortuna ortus.* Sic etiam vocabulum *ordo* accipitur Plaut. Aul. II. 2. 55. *Et te utar iniquiore, et meus me ordo irrideat.* hoc est, homines mihi similes statu et conditione. Id. Cistell. I. 1. 24. *Decet pol — hunc esse ordinem benevolentem inter se, beneque amicitia utier.* *hunc ordinem*, i. e. mulieres nostri similes; nam duae meretrices colloquuntur. et vs. 35. *Ita* 43
nostro ordini palam blandiuntur. Cic. de off. lib. III. 14. *Tum Pythius, qui esset, ut argentarius, apud omnes ordines gratiosus.* h. e. apud omnis generis omniumque ordinum homines.

Vs. 4. **Abligurisse patria bona** est, per luxum ac luxuriam absumsisse. Sic Cic. II. in Catil. 5. *Patrimonia sua profuderunt, fortunas suas abligurierunt. Ligurire* proprie est sorbere aut lambere. Horat. Sat. I. 3. 81.

Patinam qui tollere iussus
Semesos pisces tepidumque ligurrierit ius.

Ter. infra V. 4. 14 *Quae, cum amatore suo cum coenant, liguriunt.* Hinc eleganter Cicero *ligurire curationem* pro

ambire, prensare munus dividendorum agrorum inter pauperes cives. Fam. epist. 21. libri XI. *Itaque cum quidam de collegis nostris agrariam curationem ligurirent, disturbavi rem, totamque vobis integram reservavi.* Hinc et *liguritio* hominum delicatorum, cupedias sectantium. Cic. Tusc. Quaest. lib. IV. 11. *Ambitio, mulierositas, pervicacia, liguritio, vinolentia, cupedia.*

Vs. 5. **Homo sentus**, horridus, incultus: translatio
44 desumpta a rure vel agris: ubi proprie dicuntur *senta loca*, rubis spinisque obsita. Huius enim generis sunt *sentes.* Sic Virg. Aen. VI. 462.

Per loca senta situ cogunt noctemque profundam.

et eius imitatione Prudent. Peristeph. hymno nono:

Ingreditur pedibus laceris
Per loca senta situ et vepribus.

— — **Pannis obsitus**, indutus veste ex meris centonibus consuta; nam hi proprie *panni* veteribus. Noster Heaut. II. 3. 53. *Praeterea una ancillula erat: ea texebat una, pannis obsita.* Sic etiam *pannosus*, lacero vestimento indutus. Seneca de clement. lib. II. 6. Mendici alicuius *aridam et pannosam maciem* dicit. Suet. Calig. 35. *Bisque victorem constringi sine mora iussit, et pannis obsitum vicatim circumduci.* Sic autem hoc verbo etiam utitur Livius lib. II. 23. *Obsita erat squalore vestis; foedior corporis habitus, pallore ac macie perempti.*

Vs. 16. **Viam invenire** est rationem agendi invenire: vulgus dicit *medium.* Cic. de fin. lib. V. 6. *Cognitis autem rerum finibus, cum intelligitur, quid sit et bonorum extremum et malorum, inventa vitae via est confirmatio-*
45 *que omnium officiorum.* Sic Virgil. Aen. IV. 478. *Inveni germana viam.* Iustin. lib. I. cap. 10. *Ipsi igitur viam invenerunt, qua de se iudicium religioni et fortunae committerent.*

Vs. 21. **Imperare sibi** est animum in potestate habere et durare ad credendum, faciendum vel patiendum aliquid, quod alias non toleraret forsan. Sic Curt. lib. V. 7. de militibus Alexandri, cum rex, instigante meretrice, regiam Persarum incendisset: *pudebat Macedones, tam praeclaram urbem a comessabundo rege deletam esse. Itaque res in serium versa est, et imperaverunt sibi, ut crederent, illo potissimum modo fuisse delendam.* Cael. ad Cic. lib. VIII. epist. 9. *Amabo te, impera tibi hoc curae.* et epistola 12. *Quia magna mihi debebat beneficia — cum homo avarus, ut ea solveret, sibi imperare non posset, occultum bellum mihi indixit.* Senec. de ira lib. II. cap. 12. *Quodcunque sibi imperavit animus, obtinuit.* Liv. lib. XXXIV. 31. Nunc

imperare animo nequivi, quin prius quam perirem, cur periturus essem, scirem.

Vs. 26. Cetarii dicuntur omnes, qui pisces grandiusculos et salsamenta vendunt. [Propterea et *salsamentarii* vocantur.] Nonius Marcellus 1246. 31. [editionis Gothofr. pag. 510. vs. 50. cap. 1. 244.] *Cetarii genus est piscatorum, quod maiores pisces capit. Dictum ab eo, quod cete in mari* 46
maiora sint piscium genera. Varro: non animadvertis cetarios, cum videre volunt in mari thunnos, ascendere in malum alte, ut penitus per aquam perspiciant pisces? Cic. de off. lib. I. cap. 42. *Minimeque artes hae probandae, quae ministrae sunt voluptatum, cetarii, lanii, coqui, fartores, piscatores, ut ait Terentius.* Hinc *cetariae* dicuntur locus et apparatus, quibus grandiores pisces capiuntur. Plin. lib. XXXVII. cap. 17. *Ferunt in ea insula tumulo Reguli Hermiae, iuxta ceterias, marmoreo leoni fuisse inditos oculos ex smaragdis, ita radiantibus etiam in gurgitem, ut territi refugerent thynni, diu mirantibus novitatem piscatoribus, donec mutavere oculis gemmas.* [Cf. Heind. ad Hor. Sat. II. 5. 44. FR.]

Vs. 32. Disciplinae philosophorum eleganter pro sectis: veluti erant Peripateticorum, Stoicorum, Academicorum, Epicureorum. Ita locutus etiam Cic. de fin. lib. III. cap. 3. *Ceterae philosophorum disciplinae, omnino alia magis alia; sed tamen omnes, quae rem ullam virtutis expertem aut in bonis aut in malis numerent* etc. cap. 11. *Praeter enim tres disciplinas, quae virtutem a summo bono excludunt, ceteris omnibus philosophis haec est tuenda sententia, maxime tamen his* (Stoicis.) lib. V. cap. 5. *Namque horum posteri, meliores illi quidem, mea sententia, quam reliquarum philosophi disciplinarum: sed ita degenerant, ut ipsi ex se nati esse videantur.*

Vs. 38. Hoc munere. Notandum genus loquendi: 47
arbitrantur Thaidem suam esse hoc munere. i. e. se illam in potestatem redegisse per hoc munus. Sic in contrarium Catull. 14. [init.]

Ni te plus oculis meis amarem,
Iucundissime Calve, munere isto
Odissem te odio Vatiniano.

odissem te isto munere, i. e. per hoc munus. [De his nihil hic legitur in dictatis Ruhnkenii. FR.]

Vs. 39. Summus alicuius vel alicui pro amico intimo et maxime necessario. Sic infra Adelph. III. 2. 53. *Nam is nostro Simulo fuit summus et nos coluit maxume.*

Vs. 43. Urere aliquem idem quod vexare, molestia afficere, frequens Horatio. sic Carm. I. 19. [vs. 3.] *Urit me Glycerae nitor — urit grata protervitas.* Satyr. I. 9. 66.

Meum iecur urere bilis.
id est, ego ira incendebar. Epist. I. 2. 13.
Hunc amor, ira quidem communiter urit utrumque.
sic Satyr. I. 2. 114.
Num tibi, quum fauces urit sitis, aurea quaeris
Pocula?
Plaut. Poen. III. 5. 25. *Id nunc his cerebrum uritur.* I
48 est, propterea nunc dolent vel invident mihi. Noster in III. 1. 48. *Si quando illa mentionem Phaedriae facit, si laudat, te ut male urat.*

Vs. 59. Custodem esse alicubi publice idem quod publica auctoritate vel mandato magistratus vel po puli. Sic Cic. in Verr. lib. V. 51. init. *Hoc Netinorum fœderata civitas publice dicit: hoc Herbitenses, hoc Amestratini, hoc Ennenses — publice dicunt.* Intelligendum est d legatis illarum civitatum, qui missi auctoritate illoru populorum testimonium dicebant in iudicio. Liv. lib. IV 13. *Hic Minucius eandem publice curationem agens, qua Maelius privatim agendam susceperat. publice*, hoc es iussu populi et auctoritate Senatus. Idem lib. V. 28. *Hospitium cum eo Senatusconsulto est factum, donaque publi data.* eodem libro 55. *Tegula publice praebita est.* significat tegulas ad tecta facienda, cum Roma, incensa a Gallis, aedificaretur, sumptu aerarii datas esse pauperioribu civibus.

ACT. II. SC. 3.

Vs. 3. Insistere aliquam viam. Phrasis notan et propter significationem et propter syntaxin. Significat non tantum est pro *ingredi viam*, sed etiam translata p
49 *agere certa ratione*, perinde ut superius *invenire viam* 16. Syntaxis apud Plautum Cistell. IV. 2. 11. *Facite i dicium — si quis eam abstulerit, quisve sustulerit, et utru hac vel illac iter institerit.* Petron. pag. 316. *Si quis vit rum omnium inimicus, tectum iter viae coepit insistere.* Ci de orat. lib. III. cap. 45. *Quonam igitur modo tantum m nus insistemus, ut arbitremur nos hanc vim numerose dicen consequi posse?* [Nihil adnotavit Ruhnk. FR.]

Vs. 6. Formae quotidianae, mulieres vel puell pulchritudinis non admodum conspicuae, vulgaris et pa sim occurrentis. [Nos similiter: ein alltägliches Gesich ein alltäglicher Mensch. Dacier. ita transtulit: *Je ne pu plus souffrir toutes ces beautés ordinaires et communes.*] S Cic. de orat. lib. III. cap. 24. *Ut ego in aedilitate labora quod quotidianis et vernaculis rebus satisfacere me posse hu populo non putabam.* Idem in fragm. pr. C. Cornelio

ca med. [Vol. IV. P. 2. pag. 450. ed. Orell.] *Non Cn. lolabella C. Volcatium, honestissimum virum, communi et otidiano iure privasset.* Hoc ius commune et quotidianm vocat publicum et translatitium Suet. in Aug. cap. 10. *Iversante conatibus suis M. Antonio consule — ac ne publicum quidem et translatitium ius — impertiente.*

Vs. 20. **Nervos suos intendere**, omnes adhibere vis. Sic Q. Cicero de pet. cons. 14. *Plane sic contende nnibus nervis ac facultatibus, ut adipiscamur, quod petius.* Cic. pr. Coel. 32. *Omniumque huius nervorum ac borum vos potissimum — fructus uberes diuturnosque pietis.* pro Sulla 8. §. 24. *Qui si attulerint nervos et inistriam, mihi crede, excutient tibi istam verborum iactaionem.* Idem de orat. lib. III. cap. 21. *Neque sine forenibus nervis satis vehemens et gravis, nec sine varietate dotrinae satis politus et sapiens esse orator potest.* Sic *excare nervos* est adimere alicui vires. orat. 2. de lege graria 33. extr. *Quod, nervis urbis omnibus exsectis, urem ipsam solutam ac debilitatam reliquerunt.* et in fragm. ontra Anton. et Catilin. competitores in toga candida [ed. rell. Vol. II, 1. pag. 526.] *Qui posteaquam illo, ut conati rant, Hispaniensi pugiunculo nervos incidere civium Romanrum non potuerunt, duas uno tempore sicas conantur in m publicam destringere.* 50

Vs. 23. **Paullo habitiorem esse** est corpore grandiusculo, corpulentum esse. Sic Plautus in Epid. I. 1. 8. *orpulentior videre atque habitior.* Sic in contrarium Maurius Sabinus lib. VII. apud Nonium 1288. 53. [edit. Goofr. pag. 579. vs. 47. cap. II. 762. in verbo *strigosus.*] *ublius Scipio Nasica et M. Popilius cum equitum censum erent, equum nimis strigosum et male habitum, sed equim eius uberrimum et habitissimum viderent.* Ita etiam *bitus* substantive et *habitudo* accipiuntur. Liv. lib. II. 23. *bedior corporis habitus, pallore ac macie peremti.* Cornel. elsus lib. II. cap. 7. *Si sine causa quis emacrescit, ne in alum habitum corpus eius decidat, metus est.* Cornif. ad erenn. lib. IV. 10. *Nam ut corporis bonam habitudinem mor imitatur saepe, ita gravis oratio saepe imperitis videur ea, quae turget et inflata est.* 51

— — **Deducere cibum** est minus consueto et soto dare. Plautus et Cornel. Celsus *demere* vocant. Ille sin. III. 3. 116. *Quid istuc est? ut tu incedis! demam rcle iam tibi de ordeo, tolutim ni badissas.* loquitur quasi d equum et minatur non tantum pastus ei datum iri. Alter b. I. de re med. cap. 3. *Vere paulum cibo demendum, adiciendumque potioni.* Item *imminuere* ibidem: *cibus imminutus et ipse is semel die assumtus ab eo, qui bis solet.*

Cicero vocat *subtrahere* in Hortensio apud Nonium 61. [edit. Gothofr. pag. 542. et 543. cap. II. 284. in v *equuleus*.] *Ut igitur domitores equorum non verbera s adhibent ad domandum, sed cibum etiam saepe subtral ut fame debilitetur equuleorum nimis effrenata vis.*

Vs. 27. Vel vi, vel clam, vel precario tra perinde est ac si dixisset, quacunque tandem ratione, modo tradas. Formula desumpta ex praetorum interdi velut apparet ex fragmentis illorum, quae in Digestis stant. Sic Dig. lib. XLIII. Tit. 16. 1. [edit. Gothofr. 1 *Uti possidetis: Ait praetor, uti eas aedes, de quibus ag*
52 *nec vi, nec clam, nec precario alter ab altero possidetis: minus ita possideatis, vim fieri veto.* Ibidem de superi bus, Tit. 17. 1. [18. 1.] *Uti ex lege locationis sive ductionis superficie, de qua agitur: nec vi, nec clam, precario alter ab altero fruemini, quo minus fruamini, fieri veto.* Ibid. de itinere actuque privato, Tit. 18. 1. [19 *Quo itinere actuque privato, quo de agitur, vel via anno, nec vi, nec clam, nec precario ab illo usus es: minus ita utaris, vim fieri veto.* Ibidem de aqua quotid et aestiva, Tit. 19. 1. [20. 1.] *Uti hoc anno aquam, qu agitur, non vi, non clam, non precario ab illo dux quo minus ita ducas, vim fieri veto.* Etenim praetc iisdem interdictis erat cautum, ut, si quid vi aut clam set factum, id querente eo, cuius intererat, restituer Sic Dig. lib. XLIII. Quod vi aut clam. Tit. 23. 1. [24 *Praetor ait: Quod vi aut clam factum est, qua de re tur, id cum experiundi potestas est, restituas.* Sic e de precario cautum, quia hoc precibus tantum uten concedebatur, nec diutius, quam is qui concesserat, retur; cautum, inquam, de hoc. Ibid. Tit. 25. 2. [26 *Quod precario ab illo habes, aut dolo malo fecisti, u sineres habere, qua de re agitur, id illi restituas.* Ad dem sententiam alludit Cicero de orat. lib. III. cap *Etenim verecunda debet esse translatio, ut deducta es alienum locum, non irruisse, atque ut precario, non vi nisse videatur.*

53 Vs. 31. Stomachari aliquid, indigne ferre, indig graviter ferre. Cic. pro Plancio 14. *Si quid est, quod scitum esse videatur, non aspernor; stomachor vero, aliorum non me digna (dicta) in me conferuntur.* Sic e *stomachus* accipitur interdum pro patientia seu pote illa mentis, qua aliquid ferimus aut non ferimus. Sic lib. II. epist. 16. *Nosti enim non modo stomachi mei, tu similem quondam habebas, sed etiam oculorum, in h num insolentium indignitate, fastidium. nosti stomachi* i. e. scis, quam facile indigner ob talem causam;

uam ego istas res ferre non possim. Sic ad Att. lib. IV. p. 16. *Locus ille animi nostri, stomachus ubi habitabat lim, concalluit.* i. e. iam omnia ferre et obdurare possum; ihil sentio, nulla re commoveor ad indignationem. Fam. b. I. ep. 9. *Non illi quidem, ut mihi stomachum facerent, uem ego funditus perdidi, sed certe ut facere se arbitrantur. Stomachum alicui facere* est aegre facere, efficere t indigneris. C. Plin. lib. I. 4. 12. *Argumentum huius tomachi mei habebis, quod in his voluminibus auctorum nomina praetexui.* significat suam patientiam et aequitatem nimi. Sic *litterae stomachosae:* Cicero fam. epist. lib. III. p. 11. *Plenae querelarum et indignationis et stomachosius riptae:* lib. VII. ad Att. ep. 5. Sic in contrarium *ferre* ἀστομάχω; pro, ferre aequo animo et sine indignatione: ad tt. lib. IX. ep. 5. *Haec qui in mea villa non feram, Cur-* 54
um in curia potero ferre? Age, finge me quamvis εὐστομάχως haec ferentem.

Vs. 56. Iam conclamatum est, id est, res perdita st, restitui amplius non potest. Proprie dicitur de homiibus mortuis. Solebat enim, cum aliquis homo exspirasst, a praesentibus ingens clamor excitari: cuius rei diveris causas dant antiqui: alii volunt factum eo fine, ut vel xeuntem animam retardarent, vel in corpore adhuc detescentem expergefacerent; alii, ut hoc esset principium ictus; alii, ut vicinis indicium fieret, hominem defunctum sse, non vi, ferro, veneno, sed naturali morte. In hac proprie usurpabant vocabulum *conclamationis*. Senec. e tranq. animi cap. 11. *Totiens in vicinia mea conclamam est, totiens praeter limen immaturas exsequias fax cemusque praecessit.* Lucan. lib. II. 23.

Sic funere primo
Attonitae tacuere domus, cum corpora nondum
Conclamata iacent.

puleius in libel. de Philos. pag. 615. 11. *Ut optimi medici nclamatis desperatisque corporibus non adhibent medentes anus, ne nihil profutura curatio doloribus spatia promulget.*

Vs. 65. Homo inhonestus, id est, turpis, deformis. 55
ic in contrarium *honesta facies* pro pulchra, formosa, perius II. 1. 24. *Ducit secum una virginem huic dono: apae! facie honesta.* infra III. 2. 21. *Hem Eunuchum tibi: uam liberali facie!* Tha. *Ita me Dii ament, honestus est.* V. 4. 15. *Ille erat honesta facie et liberali.* Andr. I. 1. 96. *t quia erat forma praeter ceteras honesta et liberali.* Sic irg. de Venere, quae Aeneae formae decus addidisse finitur, Aen. I. 595. [591.]

Et laetos oculis afflarat honores.

ic etiam in contrarium id. de Deiphobo lib. VI. 497.

Et truncas inhonesto vulnere nares. h. e. foedo, deformi. [Cf. Heind. ad Hor. Sat. I. 2. 84. Fl

Vs. 88. Calidum consilium pro temerario, ancip et periculoso. Sic Cic. de off. I. 24. *Reperies multos, q bus periculosa et calida consilia quietis et cogitatis et spl didiora et maiora videntur.* Idem ad Att. lib. XV. ep. *Brutus et Cassius utinam, quam facile a te de me impetr possunt, ita per se exorentur, ne quod calidius ineant co silium.*

Vs. 89. Istaec in me cudetur faba, hoc est, e praecipuam partem huius periculi feram, in me damn
56 hoc redundabit. Translatio est desumpta a fabacea me et area, in qua et olim separabant acus a faba cuden et contundendo, sicut frumenta a stipulis et aristis teren Columell. lib. II. cap. 10. *Silente luna fabam vellito a lucem: deinde cum in area exaruerit confestim, priusqu luna incrementum capiat, excusam refrigeratamque in g narium conferto.* Mox describit modum fabae cudenda *Modicus fasciculorum numerus in extrema parte areae c locatus, quem per longissimum eius mediumque spatium t vel quatuor homines promoveant pedibus et baculis furc lisque contundant.* Rursus: *ac durissimae quidem acus sectae separataeque erunt a cudentibus.* Plin. lib. XVI cap. 27. 4. *Faba metitur, dein concutitur.* Proprie ergo area concuditur faba.

Vs. 92. Despicatum habere. ab inusitato *despi* pro *despicio*. Sic Cicer. *despicatissimus* homo pro Pu Sext. 16. *Cessi tribuni plebis, despicatissimi hominis, furo* Eidem *ducere despicatui* in orat. pro Flacco 27. *Quid po in Graeco sermone tam tritum atque celebratum est, qu si quis despicatui ducitur, ut Mysorum ultimus esse dicatu*

Vs. 93. Referre gratiam in malam partem idem qu vindicare, ulcisci. Sic infra IV. 4. 52. minatur Pythias: *I*
57 *veniam pol hodie, parem ubi referam gratiam.* et V. 3. 2. *Q venire in mentem nunc possit mihi? Quidnam? qui refer sacrilego illi gratiam?* Auctor declam. pro Cic. in Sall. *Non enim me sperasti mutuam tibi gratiam relaturum, vicissim tuas compellarem.* Sic Seneca de clem. lib. I. c 7. *Retulisse laedentibus gratiam.* [Cf. Commentar. in Cic or. pro Sulla pag. 92. ed. meae. FR.]

ACT. III. SC. 1.

Vs. 3. Serio aliquid triumphare. mirifice gaud aliqua re; nempe triumphantibus hoste victo imperato bus Romanis, publicum erat gaudium. Sic Heaut. IV. 2. *Triumpho, si licet me latere tecto abscedere.* Phorm. I

. 10. *Non triumpho, ex nuptiis tuis si nil nanciscor mali.* ic. fam. lib. II. ep. 12. *Spero me integritatis laudem consecutum — satis gloriose triumpharem, si non esse quidem andem in desiderio rerum mihi carissimarum.* Cic. ad. Att. ib. I. ep. 16. *Triumphabat — Hortensius se vidisse tantum.*

Vs. 6. Gratum esse alicui est parare alicui gratiam apud homines, facere aliquem gratum et efficere, ut iomines erga illum grati esse velint. Sic hic, *mihi ut sint rata omnia, quae facio*, est, ut quaecunque facio, apud iomines mihi gratiam comparent et acquirant. Sic Plaut. mphitr. Prol. vs. 48. *Gratum arbitratur id a vobis esse ibi.* i. e. arbitratur se propter hoc vos habere gratos aut estram gratiam promereri. Sic Heaut. II. 3. 21. *Quod* 58
unc faciam tamen, cum gratum mihi esse potuit, nolui. ic in contrarium Cic. fam. lib. V. ep. 5. *Quae ego si non rofundere ac perdere videbor, omnibus meis viribus sustiebo: sin autem ingrata esse sentiam, non committam, ut ibi ipse insanire videar.*

Vs. 10. Habere salem, hoc est, ingenium lepidum t acre, sermonem facetum. Catull. 84. [86. vs. 4.]

Nulla in tam magno est corpore mica salis.

ic *sales Plautini* dicuntur Horatio facete dicta Plauti, de rt. poet. 270.

At nostri proavi Plautinos et numeros et
Laudavere sales.

t idem Sat. lib. I. 10. 3. de Lucilio: *Quod sale multo Urbem defricuit.* [ubi cf. Heindorf.] hoc est, multa urbane t salse dicta in cives urbanos coniecit. Cic. de orat. lib. II. ap. 57. *Praesertim cum tantam vim et utilitatem salis et rbanitatis esse fateamur.* Sic contra *insulsus* pro homine nepto et stupido, infra V. 9. 49. *Fatuus est, insulsus, tarlus, stertit noctesque et dies.*

Vs. 11. Habere aliquem in oculis, maximi facere, ummopere aliquo delectari. Sic Latinus Pacatus in Paneyrico Theodosio dicto cap. 29. *Hos ille Phalaris in amicis* 59
habebat, hi in oculis eius atque etiam in osculis erant.

Vs. 19. Homo perpaucorum hominum, homo delicatus, fastidiosus in seligendis familiaribus, qui paucos et non nisi exquisitos potest ferre. Tale est apud Ciceronem *esse antiquorum hominum* pro, antiquis moribus esse et talibus hominibus uti, ad Attic. lib. IX. ep. 15. *Quod scribis asperius me, quam mei patiantur mores, de Dionysio scripsisse, vide, quam sim antiquorum hominum.* [Cf. Horat. Sat. I. 9. 44. et Heindorf. adn. FR.]

Vs. 21. Mordere aliquem clanculum, aegre facere, facere quod alicui molestum sit. Sic infra vs. 55. *Tu par*

pari referio, quod eam remordeat. Cic. ad Att. lib. VI ep. 2. *Qui scribis morderi te interdum, quod non simul* i. e. dolere te, aegre ferre. Fam. ep. lib. III. ep. 12. *Neque enim tristius dicere quidquam debeo ea de re — neque non me tamen mordet aliquid.* Senec. de benef. lib. V. cap. 22. *Quosdam vero sanabiles et qui fieri boni possunt, si quid illos momorderit, perire patiemur admonitione sublata.*

Vs. 22. Invidere alicui misere, id est, valde, vehe-
60 menter. Sic in Andr. III. 2. 40. *Nam omnes nos quidem scimus, quam misere hanc amarit.* Heaut. I. 2. 16. *Timet omnia: patris iram, et animum amicae se erga ut sit suae, eam misere amat.* [Cf. Ruhnk. ad I. 1. 23. et ad Andr. III. 2. 40. Heindorf. ad Horat. Sat. I. 9. 8. FR.]

Vs. 23. Invidere impense, i. e. enixe, vehementer, magnopere. Sic *impense improbus* pro nequissimo apud Plaut. Epid. IV. 1. 39. *Ut alias res ille est impense improbus.* Sic *impensam voluntatem, impensum pretium* pro magno et vehementi dicunt Latini. Cic. orat. pr. Sextio 62. *Atque ita in his rebus unus est solus inventus, qui ab hac tam impensa voluntate bonorum palam dissideret.* ad Att. lib. XIV. ep. 13. *Minusculam vero villam utique Quinto traditurum vel impenso pretio.* Caes. de bello Gall. lib. IV. cap. 2. *Quin etiam iumentis, quibus maxime Gallia delectatur, quaeque impenso parat pretio, Germani importatis non utuntur.* Liv. lib. II. 9. *Quia impenso pretio venibat.* i. e. admodum care. Idem libro XXXV. cap. 44. *Id suae impensae erga eos voluntatis maximum debere indicium esse.* Val. Max. lib. IV. 3. Ext. 1. *Cum Sophocles praetereuntis pueri ingenui formam impensioribus verbis laudasset.* Sic *impendio gaudere* Noster infra III. 5. 39. *Impendio magis animus gaudebat mihi.*

Vs. 27. Iugulare aliquem est ad silentium redigere,
61 convincere, ad extrema redigere. Sic Cic. in Verr. lib. II. 26. *Mirabantur omnes, hoc ei tum denique in mentem venisse, posteaquam tam multis eum factis decretisque iugulasset.* pro Cluentio 25. *Itaque cum Oppianicum iam perditum et duobus iugulatum praeiudiciis videret.* ad Att. lib. I. ep. 16. *Sed ductus odio properavit rem deducere in iudicium; cum illum plumbeo gladio iugulatum iri diceret.* i. e. levissimis argumentis, facillime, sine labore convictum iri. Plin. ep. IV. 9. *Veniam ergo peterem? Iugularem reum, quem ita deliquisse concederem, ut servari nisi venia non posset?*

ACT. III. SC. 2.

Vs. 38. E flamma cibum petere posse, adeo famelicum et egenum esse, ut ex medio igni atque adeo capitis

ꞏtriculo escam petere paratus sis. Sic Catull. de uxore ꞏlenoni [Carmine 59.]

Saepe quam in sepulcretis
Vidistis ipso rapere de rogo coenam,
Cum devolutum ex igne prosequens panem,
A semiraso tunderetur ustore?

Illudit autem eo quod prope busta erant mortuorum culiꞏnae, in quibus silicernium seu funebris coena a pauperibus sumenda coquebatur. Lucil. lib. XXVII. Satyrar. l. 442. *Mordicus petere aurum e flamma expediat, e coeno cibum.*

ACT. III. SC. 3. 62

Vs. 7. Rem divinam facere idem quod sacrificare, sacrificium diis offerre. Sic Hecyr. I. 2. 109. *Simulat se matre arcessi ad rem divinam, abit.* i. e. vocari ut sacro interesset. Plaut. Rud. II. 3. 13. *Nempe rem divinam faꞏcitis.* et 17. *Non rem divinam facitis hic vos? neque herus?* ꞏt ead. fab. IV. 6. 2. *Adorna, ut rem divinam faciam, cum ꞏintro advenero.*

Vs. 10. Dare se alicui est conciliare sese alicui, faꞏcere omnia ad gratiam, loqui et assentiri, quod quis velit ꞏt dicat. Sic Cic. fam. ep. libr. II. ep. 8. *Quare da te hoꞏmini, complectetur, mihi crede.* Idem de orat. lib. II. cap. ꞏ0. *Potest fieri, inquit, Sile, ut is, unde te audisse dicis, ꞏatus dixerit; annuit Silus: potest etiam, ut tu non recte ꞏntellexeris; id quoque toto capite annuit, ut se Crasso daꞏret.* hoc est, ut ei gratum faceret. ad Att. lib. IX. ep. 5. *Optimatibus vero tuis nihil confido; — video ut se huic dent, ꞏt daturi sint.* Quod hic dixit *ut se huic dent*, id ita inꞏterpretatur ad Att. lib. VIIII. ep. 16. *Quibus optimatibus, dii ꞏoni? Qui nunc quo modo occurrunt, quo modo autem se venꞏditant Caesari?* Ergo *dare se alicui* est venditare se alicui, ꞏseu ostentare se gratiam alicuius magnopere velle. Cornel. ꞏep. in Att. cap. 9. *Non solum eius inimici, qui tum erant* 63 *ꞏotentissimi et plurimi, sed amici adversariis eius se dabant; ꞏin eo laedendo se aliquam consecuturos sperabant commoꞏditatem.* Noster Heaut. IV. 3. 10. *Sed nunc, Clinia, age, ꞏa te mihi vicissim.* i. e. tu mihi quoque officium praesta, ꞏhoc rem mihi gratam. Adelph. V. 3. 52. *Mitte iam isthaec: ꞏa te hodie mihi: exporge frontem.*

ACT. III. SC. 5.

Vs. 2. Erumpere gaudium, prae se ferre, indicium ꞏgaudii publice praebere. Nam verbum *erumpere* activè hic ꞏsumitur. Sic Varro Marcipore: *Ventique frigido se ab axe ꞏeruperant.* Cic. ad Att. lib. XVI. ep. 3. *Ne in me sto-*

machum erumpant, cum sint tibi irati. Caes. de bello ci lib. II. cap. 14. *Portis se foras erumpunt; secundo mag que vento ignem operibus inferunt.* ☧

Vs. 26. Esse cum aliqua. Modesta et tecta ph rem nequam. Sic Plaut. Amphit. Prol. vs. 135. *At illum censet virum suum esse, quae cum moecho est.* C orat. pr. Cael. 20. *Si quae non nupta mulier domum su patefecerit omnium cupiditati, palamque sese in meretri vita collocarit — cum hac si quis adolescens forte fu utrum hic tibi adulter, an amator videatur?*

Vs. 41. Fucum facere alicui, quod Plautus in Ca III. 4. 123. *os sublevere offuciis*, decipere et ludibrio hab Nam *offucia* est *fucus*. Plaut. Mostell. I. 3. 106. *Non ist aetatem oportet pigmentum ullum attingere, neque cerus neque melinum, neque ullam aliam offuciam.* Transla est a feminis, quae genis oblitis fuco seu medicamento n turalem pulchritudinem mentiuntur, et ita fucum faci amatoribus. Hinc *fucus* pro omni falso et adscititio orna Cic. de orat. lib. III. cap. 25. *Atque eo citius in orat aut in poetae cincinnis ac fuco offenditur, quod sensus nimia voluptate natura, non mente satiantur: in scriptis in dictis non aurium solum, sed animi iudicio etiam mag infucata vitia noscuntur.* Gell. lib. VII. cap. 14. *Un quodque autem genus, quum caste pudiceque ornatur, illustrius: quum fucatur atque praelinitur, fit praestig sum.* Cic. de amic. cap. 25. §. 95. *Secerni autem blan amicus a vero et internosci tam potest, adhibita dilige quam omnia fucata et simulata a sinceris et veris.* Hor Satyr. I. 2. 83. *Adde huc quod mercem sine fucis ges* Alias *fucus* est medicamentum seu succus colorans. I Od. III. 5. 28. *Neque amissos colores lana refert medic fuco.* Idem epist. I. 10. 27.

Non qui Sidonio contendere callidus ostro
Nescit Aquinatem potantia vellera fucum.

i. e. lanae, quae potant, imbibunt, inficiuntur purpura Aq nate. Sic Cn. Martio dicuntur *tapetes ebrii fuco*, qui s licet multum coloris biberunt. Nemesianus in Cyneget 509. 510.

Has igitur vario semper fucare veneno
Cura tibi, niveisque alios miscere colores.

ACT. IV. SC. 2.

Vs. 4. Putare aliquid interdum est eleganter, co siderare, reputare. Sic Caecil. in Exule 34. *Non haec p tas? Non haec in corde versantur tibi?* et Virg. Aen. VI. 3

Multa putans, sortemque animo miseratus iniquam.

hoc est, volvens, agitans animo.

Vs. 12. **Extrema lineá amare** dicitur de eo, qui de ›nginquo amat, non de proximo, h. e. qui amicam tantum otest videre, cui non datur eam propius adire, tangere t potiri. Sic observat Donatus dici *longinquis lineis ali-'uid fieri*, id est, de longinquo. Sic Val. Max. lib. I. cap. l. 8. *Propioribus tamen, ut ita dicam, lineis Aterii Rufi, quitis Romani, somnium certo eventu admonitum est.* i. e. itius et propius apparuit significatio. Desumpta est transatio a lineis stadii, in quo cursores exercebantur. Insiste- 66
›ant enim lineae, ut ex aequo limite progrederentur. Si [ui ultra lineam vellent evagari et limites praecipere, voce ›ac praeconis revocari solebant: *lineam redde, ad lineam ›edem pone.* Sic apud Quintilianum *orator, quum advers-arius eius nimis se agitaret et in dicendo procurreret, posce-›at lineas,* i. e. dicebat quod praeconis voce clamabatur ›rocurrentibus ultra lineam: lineam redde. Ad Terentii ›cum alludit Tertull. in libro advers. Hermog. pag. 234. ap. 3. *Adiiciam et ego propter non intelligentes, quorum Iermogenes extrema linea est.* i. e. ultimus, postremus, nter quos ille stupidissimus est. Paulinus ep. 37. *Philo-ophorum, qui vel extremae veritatis lineas celsioribus in-'eniis attigerunt.*

ACT. IV. SC. 3.

Vs. 7. **Absente nobis.** Ratio loquendi veteribus usi-ata, etsi fortassis timide imitanda, observanda tamen ab is, qui hos casus inter se, perinde ac si unius numeri ›ssent, iungere solebant. Est enim nihil aliud quam *ab-entibus nobis.* Sic Non. Marcellus 1255. 58. [ed. Gothofr. ag. 526. vs. 39. cap. II. 66.] *absente et praesente nobis pro raesentibus et absentibus nobis.* Plaut. Amphit. II. 2. 194. *Vec nobis praesente aliquis nisi servus Sosia affuit.* Afra-ius Auctione: *Adest, si hac, absente nobis, veniret puer.* ›ic Catull. 104. *Insperanti nobis.* Et Varronem dixisse, *raesente legatis omnibus,* notat ad hunc locum Donatus. Cf. Huschk. ad Tibull. III. 6. 55. Both. Fragm. Comic. ›ag. 123. Fronton. Tom. II. pag. 493. FR.]

ACT. IV. SC. 4. 67

Vs. 6. **Adornare fugam** est praeparare et instruere e ad fugiendum. Sic Plautus *adornari vasa* Amphitr. III. l. 65. *Iube vero vasa adornari mihi.* loquitur de vasis ad ›acrificandum. Epid. V. 1. 9. *Quin tu mihi adornas ad fu-gam viaticum.* i. e. instruis me viatico. Et eleganter ab-›olute Capt. IV. 4. 13. *Nam hic quidem ut adornat, aut iam nihil est, aut iam nihil erit.* loquitur de homine vorace

omnia absumente. et Epid. III. 2. 25. *Pater adornat, veniens domi extemplo ut maritus fias.*

Vs. 14. Comparandus ad aliquem. Observan elegans usus praepositionis cum vim comparandi hal Sic supra II. 3. 69. *Estne, ut fertur forma?* Pa. *S* Ch. *At nihil ad nostram hanc.* Sic Plaut. Capt. II. 2. *Ad sapientiam huius ille nimius nugator fuit. ille,* ne Thales, unus ex septem sapientibus, nimius nugator f si cum hoc compararetur. Cic. de orat. lib. II. cap. 6. *Q cognovimus virum bonum et non illiteratum, sed nihil Persium.* hoc est, nulla ratione eruditio illius cum eri tione Persii poterat comparari. Auson. in Professori Burdigalensibus de Staphylio 20. *Grammatice ad Sc rum atque Probum, promptissime rhetor.* h. e. Gramma
68 Scauro et Probo comparande, seu qui Scaurum et P bum summos Grammaticos aequas. Id. de Nepotiano [vs. 11.]

Et disputator ad Cleanthen Stoicon.

h. e. disputator tam subtilis quam Cleanthes fuit. | Ruhnk. ad II. 3. 69. FR.]

Vs. 16. Varia veste exornatus, i. e. discolori, versis coloribus picta. Nam proprie *varius*, diversicol Sic Plaut. Epid. I. 1. 15. *Perpetuone valuisti?* Th. *va* Ep. *Qui varie valent, caprigenum hominum non placet n neque pantherinum genus.* Alludit eo, quod flagellis ca haberent tergum non unius coloris. Pseud. I. 2. 12. *ego vestra latera loris faciam, ut valide varia sient.* id livore et vicibus interstincta. Sic Petron. Arbit. pag. *Super limen cavea pendebat aurea, in qua pica varia trantes salutabat.*

Vs. 27. Expedire aliquid idem quod explicare, clarare, enarrare. Sic infra V. 6. 20. *Sed isthuc, quidq est, primum expedi.* Cic. de fin. lib. III. cap. 5. *Istiusm autem rei dicere ornate velle, puerile est: plane autem perspicue expedire posse, docti et intelligentis viri.* T Annal. lib. XIV. cap. 55. *Quod meditatae orationi tuae s tim occurram, id primum tui muneris habeo, qui me tantum praevisa, sed subita expedire docuisti.*

69 Vs. 59. Turba incepit inter eos idem quod seque scena vs. 8. *lites sunt inter illos factae:* nam vocabul *turba* pro litigio, tumultu saepe accipit Ter. ut infra sce 6. vs. 6. *Scin' tu turbam hanc propter te esse factam?* vs. 27. *Volo ego adesse hic advocatos nobis in turba h* et scena 7. vs. 30. *Si quidquam hodie hic turbae coeper* Heaut. I. 2. 16. *Propter eam haec turba atque abitio even*

ACT. IV. SC. 6.

Vs. 32. Animo praesenti facere vel dicere est ›rtiter, audacter, attente, et nihil eturbate. Sic Cic. pr. [il. cap. 23. *Videbant enim sapientissimi homines facti rationem, praesentiam animi, defensionis constantiam.* Idem e off. lib. I. cap. 23. *Fortis vero et constantis est, non erturbari in rebus asperis, nec tumultuantem de gradu deici: — sed praesentis animi uti consilio, nec a ratione scedere.*

ACT. IV. SC. 7.

Vs. 10. Servare domi dicitur eleganter et scita brevi-ate pro *servare res, quae sunt domi.* Sic Plaut. Mostell. II. 21. *Sic, quia foris ambulatis, natus nemo in aedibus serat, neque qui recludat, neque qui respondeat.*

Vs. 36. Os durum pro impudentia, seu impudente 70 omine. Sic Cic. Verr. lib. IV. cap. 29. *Os hominis ingnemque impudentiam cognoscite.* Idem lib. IV. ep. 8. *'s habet, linguam, perfidiam, malitiam atque audaciam.* us. Suetonius de clar. Gramm. cap. 22. de M. Pomponio arcello:

Qui caput ad laevam didicit, glossemata nobis
Praecipit; os nullum, vel potius pugilis.

ACT. V. SC. 2.

Vs. 29. Conturbare rationes proprie est decoquere; n posse scilicet paria facere accepta expensis, nec conlidare rationes. In lege, Quidam D. de in rem verso, g. lib. XV. Tit. 3. 16. Sic *conturbare* dicitur de servo, i pecuniam domini dissipavit, et nec ipsam refert, nec test rationes reddere. In lege, Quicunque D. de instito. actione, Dig. lib. XIV. Tit. 3. 5. *Deinde is pecunia ac›ta praesente, ut per dies singulos, cui panem praestaret, turbaverit.* Mart. Epigr. IX. 4.

Grandis in aethereo licet auctio fiat Olympo,
Coganturque Dei vendere quidquid habent:
Conturbabit Atlas.

›. non poterit solvere unciam de usu. Sic id. 96. [libri X.]

Hic pretiosa fames, conturbatorque macellus.

e. hic in macello omnia sunt tam cara et pretiosa, ut 71 i crebro inde obsonare velit, necesse habeat conturbare, na sua comedere et foro cedere. Sic id. VII. 27. [vs. 9.]

Noster te non capit ignis
Conturbator aper; vilius esurio.

inquit, caro aprugna, tu tam cara es tantique pretii,

ut te appetentes facias conturbare, noster focus vel te non capit, fames mea potest viliori cibo compesci.

Vs. 36. Conflare familiaritatem cum aliquo. *conflare bellum* Cic. fam. ep. lib. V. ep. 2. *Qui urben cendere, et magistratus ac senatum trucidare, bellum n mum conflare voluisset. seditionem conflatam* pro Cl cap. 36. *suspicionem* ad Herenn. lib. II. cap. 5. *Aut nique num quid aliquo sensu perceptum sit, aspectu, au tactu, odoratu, gustatu: nam quivis horum sensus p conflare suspicionem.* pro Caelio cap. 5. *Monstrum ex trariis diversisque inter se pugnantibus naturae studii piditatibusque conflatum.* Translatio desumpta est a ribus metallorum, quae *flari* et *conflari* dicuntur. Imperator, institutis de rerum divisione, lib. II. T cap. 25. *Si qui vina sua confuderint, aut massas ar vel auri conflaverint.* Sic et moneta *flari* dicitur.
72 lib. XLVIII. Tit. 10. cap. 9. de lege Cornelia de falsis: *Cornelia cavetur, ut qui in aurum vitii quid addid quive argenteos nummos adulterinos conflaverit, falsi mine teneatur.*

ACT. V. SC. 3.

Vs. 3. Supponere aliquem alicui, alium pro falsum pro vero tradere vel adducere alicui. Sic sup in prolog. vs. 39. *puerum supponi.* i. e. fingi qui no Cic. pro Cluent. cap. 44. *Qui, supposita persona, f testamentum obsignandum curarit.* Plaut. Cistell. I. *Puerum aut puellam alicunde ut reperirem sibi, recen tum eapse, quod sibi supponeret.* h. e. fingeret ex se Pseud. Argum. vs. 7. *Nam Simiae leno mulierem, qu supposuit, tradidit.* i. e. subornavit. [De hoc verbo dictavit Ruhnk. FR.]

ACT. V. SC. 4.

Vs. 8. Palmarium facinus, palma et gloria dig quia videlicet, ut testatur Gellius lib. III. cap. 6 *certaminibus palma signum est victoriae.* Plaut. Am Prolog. 69. *Sive etiam qui ambissent palmam histrio* Cic. de senect. cap. 6. *De Carthagine vereri non ant sinam, quam illam excisam esse cognovero: quam pa utinam dii immortales tibi, Scipio, reservent.* Id. de lib. III. cap. 35. *Sin quaerimus, quid unum excell*
73 *omnibus, docto oratori palma danda est.* Noster Heau 3. 31. *Huic equidem consilio palmam do: hic me mag effero.* Phorm. Prolog. vs. 18. *In medio omnibus pa esse positam, qui artem tractant musicam.* i. e. licere

ique de victoria contendere. [Cf. Heindorf. ad Cic. I. de D. cap. 8. §. 20. FR.]

ACT. V. SC. 5.

Vs. 6. Facere in aliquem exempla, hoc est, avissimo supplicio aliquem afficere. Sic *futura in aliem exempla* dicuntur, qui gravem poenam luet. Plaut. ostell. V. 1. 67. *Exempla aedepol faciam in te.* Sic *edere emplum* in aliquem infra V. 7. 21. *Uterque in te exema edet.* Caes. de bello Gall. lib. I. cap. 31. *Obsides nolissimi cuiusque liberos poscere, et in eos omnia exempla uciatusque edere.* Liv. lib. XXIX. cap. 27. [cf. Drakenb.] *uaeque populus Carthaginiensis in civitatem nostram facere olitus est, ea ut mihi populoque Romano in civitatem Carginiensium exempla edendi facultatem detis.* Eleganter ellius lib. VI. cap. 14. *Puniendis peccatis tres esse causas bere* notat: *unam, quum poena adhibetur castigandi atque tendandi gratia, ut is, qui fortuito deliquit, attentior fiat rrectiorque; quam admonitionem vocat: alteram, cum dignis auctoritasque eius, in quem est peccatum, tuenda est, praetermissa animadversio contemptum eius pariat, et norem levet: tertiam, quum punitio propter exemplum necessaria, ut ceteri similibus a peccatis metu cognitae 74 enae deterreantur. Idcirco* (addit) *veteres quoque nostri empla pro maximis gravissimisque poenis dicebant.* Tac. n. lib. XII. cap. 20. *Meritum quidem novissima exempla ithridatem, nec sibi vim ad exsequendum deesse.*

ACT. V. SC. 6.

Vs. 3. Satias coepit fieri. Verbum antiquum pro *ietas.* Sic Accius Frag. 136. *Quorum crudelitatem nulla quam explet satias sanguinis.* Sall. Hist. Fragm. lib. III. g. 459. *Hi saltibus occupatis, tum externorum agros inere: frumentique ex inopia gravi satias facta.* Tac. Ann. . III. cap. 30. *Idque et Maecenati acciderat, fato potene raro sempiternae: an satias capit aut illos (principes), m omnia tribuerunt; aut hos, cum iam nihil reliquum , quod cupiant.* lib. VI. cap. 38. *Non enim Tiberium, amquam triennio post caedem Seiani, quae ceteros mole solent, tempus, preces, satias mitigabant.* [Nihil de c verbo legitur apud Ruhnk. FR.]

Vs. 8. Satin' salvae dicitur per intellectum *res sunt?* est formula interrogandi amicos peregre redeuntes aut cunde advenientes. Liv. lib. I. cap. 58. *Quaerentique o: Satin' salvae? minime, inquit: quid enim salvi est*

mulieri anima pudicitia? Idem lib. VI. cap. 34. *Confusam*
75 *eam ex recenti morsu animi quum pater forte vidisset, percunctatus, satin' salvae?* lib. X. cap. 18. *Vix enim salute mutua reddita, quum obviam egressus esset: Satin' salvae, inquit, Luci Volumni? ut sese in Samnio res habent?* Ausonius in gratiarum actione ad Caesarem Gratianum versus finem: *Legionibus universis ut in communi Marte evenit, si quid adversi acciderat, vidi te circumire tentoria, satin' salvae quaerere, tractare vulnera sauciorum.* [Cf. Ruhnk. ad Andr. IV. 5. 9. et Duker. ad Liv. I. 58. FR.]

ACT. V. SC. 7.

Vs. 10. **Homo disertus.** Cum plerumque et passim ponatur pro facundo et eloquenti, hic ponitur pro ingenioso; ideo coniungit *callidum* et *disertum*. Sic videtur accipere Cic. fam. epist. lib. III. ep. 11. *Si, ut scribis, eae litterae non fuerunt disertae, scito meas non fuisse; ut enim Aristarchus Homeri versum negat, quem non probat, sic tu quod disertum non erit, ne putaris meum.* Etenim Appius non tam significabat Ciceronis litteras non fuisse uberes et copiosas, sed non fuisse dignas ingenio et humanitate Ciceronis.

Vs. 13. **Indicare alicui aliquem** est prodere, deferre. Sic Heaut. III. 3. 23. *Actum est: hic prius se indicavit, quam ego argentum effecero.* Plaut. Menaech. V. 3. 5. *Vosque omnes quaeso, si senex revenerit, ne me indicetis, qua*
76 *platea aufugerim.* Cic. in Catil. III. cap. 5. *Sic furtim nonnunquam inter se adspiciebant, ut non iam ab aliis indicari, sed indicare se ipsi viderentur.* et rursum cap. 12. *Magna vis est conscientiae, quam qui negligent, cum me violare volent, se ipsi indicabunt.*

Vs. 22. **Habere alicui honorem**, remunerare, praemium vel mercedem dare. [Namque *honor* saepe est *praemium*, pariter atque Graec. τιμή, de quo cf. Xenoph. Hier. 9; 7. FR.] Sic Cic. fam. ep. lib. XVI. ep. 9. *Curio misi, ut medico honos haberetur.* Id. pr. Rosc. Am. cap. 37. *Si nihil aliud fecerunt, nisi rem detulerunt, nonne satis fuit, his gratias agi? denique, ut perliberaliter ageretur, honoris aliquid haberi?* Caes. de bello civ. lib. II. cap. 21. *Eadem ratione privatim ac publice quibusdam civitatibus habitis honoribus, Tarracone discedit.* i. e. tributis praemiis. Curt. lib. IX. cap. 1. *Rex copiarum duces coronis et mille aureis singulos donat; ceteris quoque pro portione, aut gradus, quem in militia obtinebant, aut navatae operae, honos habitus est.* [Add. Sallust. Iug. 31. pr. FR.]

ACT. V. SC. 8.

Vs. 4. **Commitigare alicui caput**, usque verberare,
um plane comminutum sit. Sic Turpilius Lindia 99. *Mi-*
ro mihi mitigabat sandalio caput. Plaut. Milite V. I. 31.
erberane etiam, antequam amittis? P. Mitis sum equidem 77
stibus. Translatio est desumpta a salsamentis, quae ver-
erando mollia fiunt.

ACT. V. SC. 9.

Vs. 30. **Fidem dare ita futurum.** Frequens Teren-
o pro *promittere, polliceri.* [Cf. Ruhnk. ad Hecyr. I. 2.
I. FR.] Sic in Arg. Andr. vs. 3. *Gravidaque facta, dat*
dem, uxorem sibi fore hanc. in Arg. Adelph. vs. 9. *Fidem*
ederat, hanc sibi uxorem fore. Adelph. III. 4. 27. *Fidem*
ans iuransque, se illam ducturum domum. Hec. I. 2. 37.
i mihi fidem das, te tacituram, dicam. Cic. fam. ep. lib. I.
). 9. *Pompeii fides, quam de me Caesari dederat.* i. e. pro-
issum, quod ille de me Caesari fecerat. Idem lib. V. ep.
l. *De Dionysio, si me amas, confice: quamcunque ei fidem*
ederis, praestabo. i. e. quidquid ei pollicitus fueris meo
omine.

Vs. 46. **Suppeditare alicuius amori sine suo sum-**
tu, hoc est, abunde alicui esse ad alendum, ad foven-
um amorem suum impensis alienis. Verbum *suppeditare*
ccipitur hic neutraliter et ponitur sine accusativo, qui est
roprius casus verbi activi. Cic. II. in Catil. cap. 11. *Sed*
, omissis his rebus omnibus, quibus nos suppeditamus, eget
le. id est, quibus abundamus. Sic fam. ep. lib. VII. ep.
3. *An hoc significas, nihil fieri? frigere te? ne chartam* 78
uidem tibi suppeditare? In fragm. orationis pro Scauro:
Indique mihi suppeditat, quod pro Marco Scauro dicam,
uocunque non modo mens, verum etiam oculi inciderint.
Cf. Ruhnk. ad Rutil. Lup. pag. 168, a. ed. meae. FR.]

Vs. 57. **Comedere aliquem** aeque eleganter Latina
e vernacula lingua dicitur, absumere bona alicuius, maxi-
io sumptui esse alicui. Sic Plaut. Mostell. I. 1. 11. *Sine*
modo adveniat senex, sine modo venire salvom, quem ab-
entem comes. Pseud. IV. 7. 25. *Iam admordere hunc mihi*
ubet. S. *Iamne illum comesurus es?* B. *Dum recens est,*
um datur, dum calet, devorari decet. Sic etiam *comedere*
ona, patrimonium. Cic. pro Flacco cap. 36. *Quasi bona*
omesse Romae non liceret. pro Sextio cap. 52. *Utrum ego*
ibi patrimonium eripui, Gelli, an tu comedisti? Philipp. II.
ap. 14. *Comites vero Antonii, qui postquam beneficia Cae-*
aris comederunt, consulem designatum obsident.

Vs. 59. **Ignorare aliquem** interdum est, aliqu
non nosse interius, praestantiam et dotes alicuius non
telligere, etsi personam hominis quidem familiariter no
ris. Sic Auct. ad Herenn. lib. II. cap. 31. *Verum haec j*
tura satis scio, te enim non ignoro. hoc est, scio qu
79 sis ingeniosus, quam facile capias. Noster Heaut. I.
53. *Erras, si id credis, et me ignoras Clinia.* loqui
pater ad filium. Iustin. lib. XIII. cap. 1. *Ut qui eos ig*
raret, non ex una gente, sed ex toto terrarum orbe ele
iudicaret. [Cf. Ruhnken. ad Rutil. Lup. pag. 93, b.
meae. FR.]

IO. FRED. GRONOVII
NOTAE
IN
TERENTII HEAUTONTIMORUMENON

PERIOCH. 80

Vs. 3. Angere se animi. Sic Plaut. Epidico III. 1. 6. *Interii hercle ego.* Ch. *Absurde facis, qui angas te animi.* Cic. in Verr. II. cap. 34. [§. 84.] *Ferebat Sthenius, ut poterat: angebatur tamen animi dolore necessario, quod domum eius exornatam atque instructam fere iam iste reddiderat nudam.*

Vs. 4. Divorti ad aliquem, ire habitatum ac mansitatum per aliquot dies alienae domi. Sic *diversari* apud Cic. in Verrem IV. cap. 31. *Audisti Q. Minucium Rufum dicere,-domi suae diversatum esse Antiochum regem Syracusis.* et apud eundem de invent. lib. II. cap. 15. [lib. II. cap. 4. §. 15.] *diversores* pro peregrinis sive hospitibus in diversorio: *Caupo non multo post conclamavit, hominem esse occisum et cum quibusdam diversoribus illum, qui ante exierat, consequitur.* Sic etiam *diversitor* apud Petron. pag. 299. [ed. Bipont. pag. 108. cap. XLIX.] *Anus enim ipsa inter diversitores diutius ingurgitata, ne ignem quidem admotum sensisset.* et rursus pag. 345. [ed. Bipont. pag. 131. 81 cap. XCV.] *Dum haec fabula inter amantes luditur, diversitor cum parte coenulae intervenit.* ubi tamen docti viri *diversitorem* interpretantur ipsum cauponem seu dominum meretriciae tabernae: quando et in glossario *diversitor* Graece explicatur.

PROLOG.

Vs. 2. et 10. **Dare partes, discere partes.** *Pa* *κατ᾽ ἐξοχὴν* Comicis dicuntur personae, quae comoediae terveniunt et quae cuique personae dicenda vel age sunt. Sic *dare partes* alicui, puta Davi vel Pamphili Simonis, est, iubere eum hanc personam repraesenta *Discere partes* est ediscere verba ei personae dicenda versus pronuntiandos. Sic Horat. ep. lib. II. 1. [vs. 17 loquens de Plauto:

Adspice, Plautus
Quo pacto partes tutetur amantis ephebi,
Ut patris attenti, lenonis et insidiosi.

Idem de arte poet. 193.

Actoris partes chorus officiumque virile
Defendat.

Hinc eleganti translatione *partes* dicuntur cuiusque offici vel conditio vitae. Sic Horat. Sat. I. 1. [vs. 15.]

Si quis deus, en ego, dicat,
Iam faciam, quod vultis: eris tu, qui modo miles,
82 *Mercator; tu consultus modo, rusticus. Hinc vos,*
Vos hinc mutatis discedite partibus.

Cic. in orat. pro Muraena cap. 3. [§. 6.] *Ego autem partes lenitatis et misericordiae, quas me natura ipsa doc semper egi libenter: illam vero gravitatis severitatisque p sonam non appetivi.* Proprie etiam utitur Petronius versibus pag. 304. [pag. 110. ed. Bip.]

Grex agit in scena mimum, pater ille vocatur,
Filius hic, nomen divitis ille tenet.
Mox ubi ridendas inclusit pagina partes,
Vera redit facies, dissimulata perit.

Nam et *grex* hac in re proprie usurpatur, ut hoc pı vs. 45. *ad alium defertur gregem.* [Cf. Ruhnk. ad Eunu I. 2. 71. FR.]

Vs. 13. **Posse tantum a facundia.** Notanda locu propter vim praepositionis, quae interdum significat *quo* [at *quoad* nusquam praepositionis loco fungitur! FR.] *qu tum ad hoc attinet.* [Nos: von Seiten. FR.] Sic *male val a pecunia.* Plaut. Aulul. II. 2. 9. *Ain' tu te valere? E. ego haud a pecunia perbene.* Sic in Truculento II. 1. *Sterilis est amator a datis.* i. e. quantum ad donandu quantum ad pecuniam, sterilis. Sic apud Cicer. VII. ad A ep. 18. [ep. 15.] *Sumus enim imparati, cum a militi tum a pecunia.*

Vs. 25. **Vostra existimatio valebit,** id est, vos dicabitis, vestrum eius rei iudicium facio. Sic *existim* 83 pro *iudicare* apud Cic. fam. lib. I. ep. 5.: *Quorum utr*

nus velim, non facile possum existimare. i. e. decernere, iudicare. et epist. 7. *Sed haec sententia sic et illi et bis probabatur, ut ex eventu homines de tuo consilio istimaturos videremus.* Liv. lib. XLIV. cap. 14. *Ne nunc idem haec sine indignatione legi audirive posse certum beo; inde existimari potest, qui habitus animorum au-entibus ea patribus fuerit.* [Sic vero nusquam dic. *aesti-ire*; quod eius est, qui rei pretium constituit, res inter componit, ut quid posthabendum sit, intelligatur. Ac ne scripsit nescio quis: „*existimare* bezeichnet das Re-ultat einer Meinung, welche den Gehalt der Dinge wägt, chätzt (*aestimat*); schliesst also ein Urtheil ein und fol-gert nach Ueberlegung." Etenim *ex* praepositio in com-ositis indicat *emersionem* ex illa re, quam simplex ver-um exprimit: ut ait Beierus ad Cic. de Off. I. 1. pag. 8. f. etiam Ruhnk. Opusc. Vol. II. pag. 523. ed. Friedem. FR.]

Vs. 36. Statariam agere dicitur proprie quidem per ntellectum vocis *fabulam*, agere comoediam in qua non ultum discurritur, sed quae maiorem partem stando agi-ır: cui ex adverso ponitur *motoria*, nempe comoedia tur-ulenta, negotiosa, in qua multus est cursus et motus. ranslate potest referri ad quamcunque aliam actionem, l quodvis aliud negotium vitae, in quo alii tranquille ac ne motu, alii cum tumultu versantur. Cic. in Bruto cap. l6. [cap. 30. §. 116.] *Volo enim, ut in scena, sic etiam foro, non eos modo laudari, qui celeri motu et difficili antur, sed eos etiam, quos statarios appellant, quorum sit a simplex in agendo veritas, non molesta.*

ACT. I. SC. I.

Vs. 27. Deterrere aliquem est interdum, sine re-ectu ullius terroris aut formidinis, aliquem dehortari, tionibus persuadere, ut aliquid ne faciat. Sic Adelph. I. 84
64. *Cum placo, advorsor sedulo et deterreo; tamen vix mane patitur.* Cic. de orat. lib. II. cap. 20. *Nam neque qui optime potest, deserendus ullo modo est a cohorta-ne nostra; neque is, qui aliquid potest, deterrendus.* Plaut. il. II. 3. 61. *Me homo nemo deterruerit, quin ea sit in aedibus.* h. e. nemo aliter mihi persuaserit. et seq. sc. 16. *Nunquam hercle deterrebor, quin viderim id, quod lerim.* Liv. lib. X. cap. 30. *Volumnius in Samnio inte-n. res gerit, Samnitiumque exercitum in Tifernum mon-n compulsum, non deterritus iniquitate loci, fundit fugat-e.* [Cf. Huschk. ad Tibull. I. 3. 13. FR.]

Vs. 49. Via pervolgata patrum, hoc est, modo ndi, ut vulgo patres solent. Sic vocabulum *via* veteres

saepe usurpant. Cic. in Bruto cap. 46. [cap. XII. Artem et praecepta Siculos, Coracem et Tisiam, conscr Aristoteles ait: nam antea neminem solitum via nec sed accurate tamen et de scripto plerosque dicere. Pro etiam crebro invenias coniuncta haec duo apud Cicer *via et ratione*. Act. I. in Verrem cap. 16. [§. 48.] *certam viam atque rationem, qua omnes illorum condi vestigare et consequi possim.* lib. V. cap. 58. [§. 151 *mehercules, id quod fieri non posse intelligo, ex his l te exueris, ac te aliqua via ac ratione explicaris.* pro lio cap. 20. *Quare da nobis viam rationemque defen* lib. I. de finibus [cap. IX. §. 29.] *Constituam, quid et*
85 *sit id, de quo quaerimus; non quo ignorare vos ar sed ut ratione et via procedat oratio.* [Add. Orat. §. 10. FR.]

Vs. 74. 75. **Pro se quisque sedulo facere.** Sic Amphitr. I. 1. 76. *Pro se quisque, id quod quisque et valet, edit; ferro ferit: tela frangunt.* Cic. in Ver I. cap. 27. *Quaerunt, quid optimum factu sit: pro se que, ut in quoque erat auctoritatis plurimum, ad po loquebatur.* Idem in Verr. lib. IV. cap. 62. *Tum quisque quantum dicendo assequi poterat, docere me ea, quae paullo ante commemoravi.* Liv. lib. VII. c *Ut vero castra Romana viderunt, ferociter pro se q signum duces poscere.* Idem lib. XXXV. cap. 34. *Sin homines misericordia et improbos seditiososque immiscen tumultu Aetolico spes movit: pro se quisque revocare iul*

Vs. 91. **Victum suum exercere** dicuntur ea v res, unde facile tantum recipias, quantum pro iis i das. Sic dicit hic, *ancillas, servos nisi eos, qui rustico faciundo facile victum exercent suum*, i. e. tantum fructuum domino pararent, quantum in ipsis dis impenditur. Imitatus est hanc phrasin Ambrosius E pus Mediolanensis lib. II. de officiis cap. 25. *Amissione monii in eam reciderat iniuriam, ut sumptum exercere num non queat.* [Cf. Gron. Obss. pag. 558. sq. ed. meae

86 Vs. 93. **Inscribere aedes mercede** est aediu nalium indicium publice facere scriptura: nam qui sionem aut fundum vendere vellet, ut nunc quoq figebat aut suspendebat tabellam publice, in qua no tum res, sed et rei pretium proscriptum erat. Plaut. I. 2. 131. *Aedes venales hasce inscribit literis.* Alia *scribere* dicunt. Cic. de off. lib. III. cap. 16. §. 66. *que Calpurnius cum demolitus esset cognossetque, Cla aedes postea proscripsisse.* lib. IV. ad Att. ep. 2. *Tuscu proscripsi.* i. e. proposui venale. Plin. lib. VII. epi *Hereditarios agros, quos ego iusseram proscribi.* eod

. 27. de domo, in qua spectrum apparebat: *Deserta inde damnata solitudine domus, totaque illi monstro relicta: ascribebatur tamen, seu quis emere, seu quis conducere, narus tanti mali vellet. Venit Athenas philosophus Athenorus, legit titulum: auditoque pretio, quia suspecta vilitas, rcunctatus, omnia docetur.* ubi hoc quoque notandum, *titum* dici illam tabellam, qua proscribebatur domus. Hinc *b titulum ire* est proscribi. Tibull. lib. II. eleg. 4. vs. 54.

Quin etiam sedes iubeat si vendere avitas,
Ire sub imperium sub titulumque Lares.

Vs. 94. Cogere mercedem. Sic Cic. in Verr. lib. I. p. 27. [§. 70.] *Cum seditionem sedare vellem, quum fruentum imperarem, cum stipendium cogerem.* Idem in Verr. 87
). II. cap. 48. [§. 120.] *Quod enim praeterea genus pecuae cogendae praeteriit.* lib. III. cap. 73. [§. 171.] *Demonrat, hanc istius consuetudinem ac rationem fuisse, cum nnis frumenti copia decumarum nomine penes istum esset :dacta, solitum esse istum pecuniam cogere a civitatibus, umentum improbare.* Sic ad Att. lib. VI. ep. 2. [§. 5.] *usus es, ut equites Scaptio ad pecuniam cogendam darem, e rogare?* Hinc *coactores* illi *argentarii* apud Suet. Vespas. ap. 1. Cicero pro Rabirio Posthumo cap. 11. [§. 30.] *Ait um, dum Gabinio pecuniam Posthumus cogeret, ex decuis imperatorum pecuniam sibi coegisse. Non intelligo, hoc uale sit, utrum accessionem decumae, ut nostri facere coctores solent, centesima, an decessionem de summa fecerit.*

ACT. I. SC. 2.

Vs. 12. Nec opinanti obiicere laetitiam. Sic Hecyr. III. 3. 2. *Unde exordiar narrare, quae nec opinanti ccidunt.* Cic. Philipp. XIII. cap. 16. extr. *Et eosdem nec pinantes ad commilitonum suorum pericula impulistis.* Pro odem dicunt poetae *nec opinus.* Statius libr. VI. Thebaidos 888.

Circumit errantem, et tergo nec opinus inhaeret.

t eodem libro 781.

Avocat et manibus nec opinum inserit ictum.

ro eodem *inopinus* et *inopinans* Suet. Tiber. cap. 65. *Inpinantem criminatus est pudenda miseraque oratione.* Plin. 88
i Panegyrico cap. 30. *haec inopina siccitate usque in inriam sterilitatis exaruit.*

Vs. 34. Devinctus cupiditate animus. Sic H. 4. 14. *Hoc beneficio utrique ab utrisque devincimini.* Cic. fam. b. III. ep. 13. *Ipsam amicitiam, qua nihil est uberius, raesertim in iis studiis, quibus uterque nostrum devinctus it.* libro VI. ep. 10. *Omnes fere familiarissimi eius, quasi*

devinctis magnis meis veteribus officiis. pr. Cluent. cap. LXIV. [§. 179.] *Despondit ei filiam suam, ut eum nuptiis alligatum simul et testamenti spe devinctum posset habere in potestate.*

ACT. II. SC. 1.

Vs. 10. Surdo narrare fabulam, dictare alicui praecepta, qui ea non curet, monere hominem obstinatum ad non parendum. Sic Propert. lib. IV. eleg. 9. [eleg. 8. vs. 46.]

Cantabant surdo, nudabant pectora caeco.

Vs. 16. Recte est perelegenter dicitur pro *non est, nihil est.* Sic Eunuch. II. 3. 50. [ubi cf. Ruhnken. FR.] *Dum haec dicit, abiit hora; rogo numquid velit. Recte, inquit. Abeo.* ubi *recte* est formula dicentis se nihil velle aliud. Hac fab. III. 2. 7. *Syre!* Sy. *Hem.* Ch. *Quid tu istic?* Sy. *Recte.* [Cf. Heindorf. ad Horat. Sat. I. 9. 6. FR.]

89 ACT. II. SC. 2.

Vs. 7. Praesagire dicitur animus, quasi praedivinare, praesignificare aliquid eventurum. Plaut. Aulul. II. 2. 1. *Praesagibat mihi animus, frustra me ire, cum exibam domo.* Cic. lib. I. cap. 31. de divinat. *Sagire sentire acute est: ex quo sagae anus, quia multa scire volunt, et sagaces dicti canes. Is igitur, qui ante sagit quam oblata res est, dicitur praesagire, id est, futura ante sentire.* Vocabulum *sagus* etiam exstat apud Statium lib. VIII. Thebaidos vs. 204.

Ipse nihil certum sagis clangoribus aether
Praecinet.

Sagos clangores vocat cantus avium vaticinos. [Ad hunc versum nihil adnotavit Ruhnk. FR.]

ACT. II. SC. 3.

Vs. 4. Impediti dicuntur eleganter et illi, qui magnum habent comitatum, qui onera, qui sarcinas. Cic. pr. Mil. cap. 20. [§. 54.] *Cum alter veheretur in rheda paenulatus, una sederet uxor, quid horum non impeditissimum? vestitus, an vehiculum, an comes?* Idem ad Att. lib. V. epist. 9. *Actuariis (navibus) autem minutis Patras accedere sine his impedimentis, non satis visum est decorum. impedimenta* vocat turbam praetoriam vel proconsularem et apparatum triumphi, quem secum ex provincia asportabat. Autor ad Herenn. lib. I. cap. 15. §. 25. *Popillius cum a Gallis obsideretur, neque effugere ullo modo posset, venit*
90 *cum hostium ducibus in collocutionem: ita discessit, ut impedimenta relinqueret, exercitum educeret: satius esse duxit*

amittere impedimenta quam exercitum. Sic vocantur *impedimenta* currus sarcinae, quas Galli et nos dicimus Bagage. Suet. Cal. cap. 51. *Ac propere versus ad pontes, ut eos calonibus et impedimentis stipatos repperit.*

Vs. 36. **Coniicere se intro.** Sic Cic. pro Caelio cap. 26. ab init. *Nam si essent in vestibulo balnearum, non laterent: sin se in intimum coniicere vellent, fortasse non reciperentur.* Plaut. Trin. III. 2. 96. *Aut aliquem ad regem in saginam heru' se coniecit meus.* Petron. pag. 28. *Vidi Gitona in crepidine semitae stantem et in eundem locum me conieci.* Est *raptim se aliquo conferre.* Sic in Livio *deiicere equum* est ex superiore loco in inferiorem agere, lib. XXIII. cap. 47. *Dicto prope citius equum in viam Claudius deiecit.* Tale est etiam *coniicere in turbam.* Liv. lib. XXXV. cap. 28. *Eo impedimenta et calonum turbam coniectam.* i. e. illic positam vel collocatam armatis circumdedit. Caes. de bell. Gall. lib. III. cap. 24. *Duplici acie instituta, auxiliis in mediam aciem coniectis.* Cic. Phil. V. cap. 6. ab init. *Totum denique comissationis Antonianae chorum in tertiam decuriam iudicum scitote esse coniectum.*

Vs. 49. **Capillus passus** est negligenter circum caput 91 reiectus et quasi passim datus. Caes. de bello Gall. lib. VII. cap. 48. *Matres familias suos obtestari et more Gallico passum capillum ostentare coeperunt.* Idem lib. I. cap. 51. *Mulieres in praelium proficiscentes milites passis crinibus flentes implorabant, ne se in servitutem Romanis traderent.* Liv. lib. XXVI. cap. 9. *Matronae in publicum effusae circa Deum delubra discurrunt, crinibus passis aras verrentes.* Est a *pando* et idem significat quod *extensus;* quare et apud Caesarem *manibus passis*, de bell. Gall. lib. II. cap. 13. *Pueri mulieresque ex muro passis manibus suo more pacem a Romanis petierunt.* et lib. VII. cap. 47. *Matres familiae pectore nudo* [Oudendorp. e Codd. *pectoris fine*] *prominentes passis manibus obtestabantur Romanos.* [Cf. Cic. pro Sextio §. 117. FR.] Sic etiam *passus* substantive, non tantum pedum, sed etiam laterum dixit Statius Silv. lib. prim. in equo maximo Domitiani vs. 29. 30.

At laterum passus hinc Iulia templa tuentur,
Illinc belligeri sublimis regia Paulli.

Vs. 56. **Sordidatus** proprie sordida veste indutus, sed et crine impexus, squalidus atque illuvie obsitus, quamquam haec posteriora sunt magis sordidi quam sordidati, inter quae duo recte distinguit Terentius. Plaut. Asinar. 92 II. 4. 91. *Quamquam ego sum sordidatus, frugi tamen sum.* Liv. lib. III. [cap. 58. de C. Claudio:] *Is magno iam natu, sordidatus, cum gentilibus clientibusque in foro prensabat*

singulos orabatque. Suet. Vitell. cap. 15. *Primo dilucu sordidatus descendit in rostra.* Eo habitu erant veteres i periculis et luctu. Hinc *sordes sumere, ponere*, diceb pro habitu tristi ob reatum aut luctum, aut aliud peri lum subire, sed frequentissimum de reatu; atque ad *sordes* pro reatu saepe accipiuntur. Seneca lib. II. de ben capite ultimo: *Bona mihi donata sunt, et fama defensa, tractae sordes.* h. e. liberatus sum a periculo iudicii. Id lib. IV. cap. 12. de benef. *Reum gratia laborantem* (h est, potentia adversarii in periculo constitutum) *tutor, hominum potentium factionem in me converto, quas illi traxero sordes, sub accusatoribus iisdem fortasse sumptur* idem, quo periculo iudicii illum liberavi, id periculum for san ipse subiturus. M. Seneca controversia 18. *Mori vel taedio abdicationis et infelicitatis assiduae, cum in hoc ta tum sordes ponerem, ut cum maiore tormento positas re merem, et absolutio mihi uni non finis esset periculi, initium.* Suet. Octav. cap. 32. *Diuturnorum reorum, et quorum sordibus nihil aliud quam voluptas inimicis quae retur, nomina absolvit.*

93 Vs. 59. Disciplina est iisdem eleganter pro mor consuetudine, ratione et lege agendi. Sic Plaut. Asin. I. 49. *Quum a pistore panem petimus, vinum ex oenopol si aes habent, dant mercem; eadem nos disciplina uti* Bacch. III. 3. 17. *Eademne erat haec disciplina, cum adolescens eras?* Trucul. I. 2. 29. *Mala femina es. As. lens sum: ea est disciplina.*

Vs. 60. Affectare viam. Sic Phorm. V. 7. 71. *gladiatorio animo ad me affectant viam.* Plaut. Menaec IV. 3. 12. *Ut me defrudes, ad eam rem affectas viam.* A Iul. III. 6. 39. *Ut me deponat vino, eam affectat viam.* C pr. Rosc. [Amer.] cap. 48. [§. 140.] *Nunc vero, quam vi munitet, quod iter affectet, videtis.*

Vs. 81. Efficere pecuniam. Sic paullo post vs. *Quod illi argentum es pollicitus, ut efficerem, orando das iam aures reddideras mihi.* Cic. in Verr. lib. II. c 53. [§. 133. extr.] *Iam hic Timarchides, quantam pecuni fecerit, plane adhuc cognoscere non potuistis.* ad Att. li VI. ep. 1. [§. 3.] *Ei tamen sic nunc solvitur, tricesimo qu que die talenta Attica triginta tria, et hoc ex tributis, n id satis efficitur in usuram menstruam.*

94 Vs. 101. In aurem utramvis otiose dormire, summa securitate esse, nihil metuere. Imitatus est Plini lib. IV. ep. 29. *Nihil est, quod in dextram aurem fiduci mei dormias, non impune cessatur.*

ACT. II. SC. 4.

Vs. 11. **Desertae vivimus**, hoc est, deserimur, aut desolatae sumus. Sic Cic. XIV. fam. ep. 1. *Quod si nostris consiliis usi essemus, neque apud nos tantum valuisset sermo aut stultorum amicorum aut improborum, beatissimi viveremus.* Philipp. XI. cap. 10. [§. 24.] *Agitur autem liberine vivamus, an mortem obeamus.* Catull. X. [vs. 33. et 34.]

Sed tu insulsa male et molesta vivis,
Per quam non licet esse negligentem.

ACT. III. SC. 1.

Vs. 7. **Quod potero.** Frequens usus huius particulae apud Terentium pro *quoad, quantum.* Sic IV. 8. 4. *Serva, quod in te est, filium et me et familiam.* i. e. quantum in tua potestate est. Adelph. III. 5. 1. *Bono animo fac sis Sostrata, et istam, quod potes, fac consolere.* Iterum Adelph. IV. 5. 58. *Prodidisti te et illam miseram et gnatum, quod quidem in te fuit.* [Cf. Ruhnk. ad Eunuch. II. 1. 9. FR.]

Vs. 39. **Non posse habere sine magno intertri- 95
mento**, hoc est, detrimento, damno. *Intertrimentum* proprie vocabulum aurificum sive aurifabrorum. Illi *intertrimentum* dicebant evanidam illam argenti partem, quae in excoctione deperit. Sic usurpat Livius lib. XXXII. cap. 2. *Carthaginienses eo anno argentum, in stipendium impositum, primum Romam advexerunt: id quia probum non esse quaestores renunciaverant, experientibusque pars quarta decocta erat, pecunia Romae mutua sumpta, intertrimentum argenti suppleverunt.* Hinc ad alia quoque transfertur. Cic. in Verr. lib. I. cap. 50. [§. 132.] *Lucio Rabonio aedem Castoris tradi oportebat; is casu pupilli Iunii tutor erat testamento patris; cum eo sine ullo intertrimento convenerat iam, quemadmodum traderetur.* Posuit Cicero hic *intertrimentum* pro communi alicuius negotii conficiendi iactura. Nam Asconius notat, *detrimentum* unius partis esse, *intertrimentum* vero dantis et accipientis: quae tamen differentia perpetua non est. *Intertrituram* pro eodem ponit Iurisconsultus Scaevola in L. ultim. ff. de pignoratoria actione: *Respondi secundum ea, quae proponerentur, ob id, quod eo nomine intertriturae accidisset, non teneri.* Liv. lib. XXXIV. cap. 7. *Sed in purpura, quae teritur, absumitur, iniustam quidem, sed tamen aliquam caussam tenacitatis video: in auro vero, in quo praeter manus pretium nihil intertrimenti sit, quae malignitas est?*

Vs. 48. **Pytissare** recte explicatur a vetere scholiaste, 96
gustare et quasi cum quadam probatione exspuere: item

expressis labris spuere, dum sapor vini probatur. Quod hodieque facere solent, qui vinum probant. Est a Graecis, quibus *οἶνον πυτίζειν* est *vinum ore reiicere*. Hinc apud Iuvenalem *pytisma*, pro illo nempe vino, quod ex ore reiicitur, Sat. XI. vs. 173.

Qui Lacedaemonium pytismate lubricat orbem.

i. e. homo dives, qui non vulgarem orbem, sed ex marmore Laconico factum, reiiciendo isto vino, quum pytissasset, lubricum facit. *Lacedaemonium orbem* Scaliger interpretatur pavimentum marmoreum, orbibus vel ornatis figuris distinctum; Salmasius mensam rotundam ex Lacedaemonio marmore factam.

Vs. 51. Relinere dolia est vasa vinaria aperire ad vinum inde hauriendum. Veteres solebant dolia oppicato cortice operculare sive claudere. Cato de re rust. cap. 120. *Mustum si voles totum annum habere, in amphoram mustum indito et corticem oppicato.* Contra cum vellent eadem aperire, picem illam oblitam tollebant. Unde apud Horat. lib. III. od. 8. vs. 10. sqq.

97 *Corticem adstrictum pice dimovebit*
Amphorae fumum bibere institutae
Consule Tullo.

Prius dicebant *oblinere dolia*. Sic Cato cap. 114. *Sinito dies quindecim aperta, antequam oblinas.* Idem cap. 111. *Sinito biduum oblitum dolium.* Est igitur *relinere* contrarium, nempe pice oblitas et obturatas resignare et aperire. Possumus nostro more interpretari, den vat opsteeken.

Vs. 52. Habere aliquem sollicitum, negotium alicui facere, laborem aut rem laboriosam alicui iniungere et imponere. Sic Plaut. Menaechm. IV. 2. 11. de hominibus litium forensium amantibus: *Qui neque leges neque aequum bonum usquam colunt, sollicitos patronos habent.* i. e. causidicis multum negotii facessunt. et ibid. vs. 20. *Sicut me hodie nimis sollicitum cliens quidam habuit.*

Vs. 72. Patefacere fenestram ad nequitiam, aperire viam, dare locum, praebere occasionem nequiter agendi. *Fenestra* non tantum significat operculum vitreum, quo lumen admittitur, sed et ipsum foramen, cui vitrum inseritur et quasi ostiolum. Sic Plaut. Rud. I. 1. versu ultimo:
98 *Ventus omnes ita tecto deturbavit tegulas, illustriores fecit, fenestrasque indidit.* Sic Virg. lib. II. Aeneid. vs. 480.

Iamque excisa trabe, firma cavavit
Robora et ingentem lato dedit ore fenestram.

Statius lib. X. vs. 530. [535.] Thebaidos, loquens de foraminibus muri vel moeniorum, unde armati homines tela mittebant:

Armataeque vomunt stridentia tela fenestrae.
ic et Iuvenal. Satyr. I. vs. 104.
Molles quod in aure fenestras
Arguerint.
'etronius Arbiter cap. 79. *Non diu tumultuatus stabuli ia-uam effregit, et nos per eandem fenestram admisit.* Phra-is autem Terentii est et apud Suetonium in Tiber. cap. 8. *Si hanc fenestram aperueritis, nihil aliud agi sinetis, mnium inimicitiae hoc praetextu ad vos deferentur.* Plin. b. I. ep. 18. *Prospere cessit, atque adeo illa actio mihi ures hominum, illa ianuam famae patefecit.*

Vs. 87. Maturo aliquid facere est tempestive et or-ine properare. Sic Caes. de bello Gall. lib. I. cap. 7. *Cae-ari quum id nunciatum esset, maturat ab urbe proficisci, t quam maximis itineribus potest in Galliam ulteriorem ontendit.* Sall. de bello Iug. cap. 36. *Interim Albinus, enovato bello, commeatum, stipendium aliaque, quae mili-bus usui forent, maturat in Africam portare.* Liv. lib. 99
XXIV. cap. 46. *Nuncium ad collegam mittit, ut si vide-etur ei, maturaret venire.* Tac. Hist. lib. V. cap. 18. *De-ellatum eo die foret, si Romana classis sequi maturasset.* Cf. Sallust. Cat. cap. 36, 3. Iug. cap. 79, 5. ibique Cort. FR.]

Vs. 93. Ambigere de finibus, litem habere seu con-oversiam de limitibus agrorum. Sic Liv. lib. XLII. cap. 9. *Antiochus imminebat quidem Aegypti regno, et pueritiam egis et inertiam tutorum spernens, et ambigendo de Coele-yria caussam belli se habiturum existimabat.*

ACT. III. SC. 2.

Vs. 2. Intendere in aliquem fallaciam. Translatio esumpta est a fabricis sive machinis, inprimis illis, qui-us veteres utebantur ad solvendos et deiiciendos muros, uos oppugnarent; nam hae funibus intendebantur proprie t movebantur. Sic infra vs. 34. *Nonne ad senem aliquam ibricam fingit?* item *fabrica* significat bellicam machinam. ic et *machina* et *machinari* transferuntur. Plaut. Capt. II. 3. 15. *Nisi si meo aliquam corde machinor astutiam: uam, malum! quid machiner? quid comminiscar?* Casina . 4. 22. *Mihi illa nubet, machinare quod lubet quovis odo.* Milite III. 2. 4. [vs. 1.] *Quantas res turbo, quantas oveo machinas.*

Vs. 5. Tradere alicui provinciam, dare alicui ne- 100
otium, mandare rem agendam. *Provinciae* proprie sunt egiones vel populi, quos Romani devictos, adempta liber-ate, et legibus ac stipendio imposito, misso quotannis agistratu, regebant; et *provinciam facere* vel *in provin-iam redigere* dicebant eos populos, quibus eiusmodi sta-

tum et fortunam darent. Id nomen maxime datum acqui-sitis bello extra Italiam regionibus, a *porro* vel *procul* vin-*cendo*. Et quoniam quotannis magistratibus id negotium da-batur a pop. Rom. ut in provincias irent, hinc factum est, ut pro quovis negotio vel munere hoc vocab. acciperetur. Noster Phorm. I. 2. 22. *Senes me filiis relinquunt, quasi magistratum*. Da. *O Geta! provinciam cepisti duram*. h. e. arduum et difficile munus tibi iniunctum est. Cic. pro Cael. cap. 27. [§. 64.] *Hoc fuit totum consilium mulieris, haec istorum provincia*. Id. de finib. lib. I. cap. 6. [§. 20.] *Nam si omnes atomi declinabunt, nullae unquam cohaerescent; sive aliae declinabunt, aliae suo nutu recte ferentur: primum erit hoc quasi provincias atomis dare, quae recte, quae obli-que ferantur*. [Cf. Rupert. ad Liv. II. 40. 9. FR.]

Vs. 26. In loco facere. Ita breviter et eleganter di-
101 cunt pro *apto et commodo loco, opportune*. Sic infra Adelph. II. 2. 8. *Pecuniam in loco negligere maximum interdum est lucrum*. Cornif. ad Herenn. lib. IV. cap. 22. [cap. 15. §. 22.] *Hac exclamatione si loco utemur et raro, et quum rei magnitudo postulare videbitur, ad quam volemus indigna-tionem animum auditoris adducemus*. Eodem libro inferius cap. 37. [§. 49.] *Haec res, sicut in amicitia, ita in dicendo si loco fit, maxime facit, ut et illi, qui audiunt, a culpa absint*. pro Milone cap. 16. *Quem iure, quem loco, quem tempore, quem impune non est ausus, hunc iniuria, iniquo loco, alieno tempore, periculo capitis non dubitabit occidere*.

ACT. III. SC. 3.

Vs. 7. In vino. Ita breviter et eleganter dicebant pro *inter potandum, in convivio*. Plaut. Trucul. IV. 4. 1. *Blitea et lutea est meretrix, nisi quae sapit in vino ad rem suam*. Cic. ad fam. lib. XII. ep. 2. *At quam paratus ve-rat, quum in villa Metelli complures dies commentatus fuis-set. Quae autem in lustris et in vino commentatio esse po-test*. Catull. carm. XII. ineunte:

Marrucine Asini, manu sinistra
Non belle uteris in ioco atque vino,
Tollis lintea negligentiorum.

Senec. ep. 83. *Cassius tota vita aquam bibit: Tullius Cim-ber et nimius erat in vino et scordalus*. h. e. saepe potabat
102 et inter potandum contumeliosus erat. Hoc enim significat verbum *scordalus*, quo idem Seneca, ut et pater eius, uti-tur ep. 56. Inter eos, qui tumultum excitant in balneis publicis, refert *scordalum* et *furem deprehensum*.

Vs. 11. Ab ore alicuius concedere, e conspectu abire. Sic etiam *in ore* est *in conspectu* seu *hominibus* s*tantibus*. Cic. in Verr. II. par. 23. [cap. 23. §. 56. cf. §. 8]

in ore et sermone omnium coepit esse. In ore atque in oculis omnium haec gesta sunt. pro Roscio [Am.] cap. 6. *Erat ille Romae frequens, atque in foro et in ore omnium quotidie versabatur.* Sallust. in fragm. incertorum librorum, ubi recitat orationem Cottae: *A prima adolescentia in ore vestro privatus et in magistratibus egi.* Idemque alibi: *In ore gentibus egi, populo, civitati.*

Vs. 19. **Homo frugi et temperans.** Quare haec duo iungat, rationem edit Cicero Tusc. lib. III. cap. 8. loquens de temperantia: *Sed haud scio, an recte ea virtus frugalitas appellari possit* etc. *Quae nisi tanta esset, et si iis angustiis, quibus plerique putant, teneretur, nunquam esset L. Pisonis cognomen tanto opere laudatum. Sed quia nec qui propter metum praesidium reliquit, quod est ignaviae; nec qui propter avaritiam clam depositum non reddidit, quod est iniustitiae; nec qui propter temeritatem male rem gessit,* 103 *quod est stultitiae; frugi appellari solet; eo tres virtutes, fortitudinem, iustitiam, prudentiam frugalitas amplexa est. Eius enim videtur esse proprium, motus animi appetentis regere et sedare, semperque adversantem libidini, moderatam in omni re servare constantiam; cui contrarium vitium nequitia dicitur.* Sic et Gellius lib. VII. cap. 11. *nequam hominem* ait dixisse veteres *nulli rei, neque frugi bonae*, quod Graeci fere ἄσωτον ἢ ἀκόλαστον ἢ ἀχρεῖον dicunt. Hic igitur *frugi esse* pro *hominem temperantem et utilem esse* hac ipsa scena vs. 36. ubi tamen per ironiam dicitur. Cic. ad Attic. lib. IV. ep. 8. *Satis enim est acutus et permodestus ac bonae frugi.* Sic *dicere aliquem frugi* est laudare aliquem velut temperantem et industrium. Cic. pro Fonteio cap. 13. [§. 29. extr.] *Cogis me, inquit, dicere inimicum meum frugi.* Nec de hominibus tantum usurpatur, sed etiam de rebus. Sic *atrium frugi* est non nimis sumptuosum. Plin. lib. II. ep. 17. *Villa usibus capax, non sumptuosa tutela; cuius in prima parte atrium frugi, nec tamen sordidum.* Sic *frugem facere* est bene et recte facere apud Plaut. in Poenulo IV. 2. 78. [vs. 70.] *Herus si tuus volet facere frugem, meum herum perdet.* Et *corrigere aliquem ad frugem* est hominem corruptum ad bonos mores reducere. Trinum. I. 2. 81. *Quid tu? adolescentem, quem esse corruptum vides, quin eum restituis? quin ad frugem corrigis?* [De his nihil est apud Ruhnken. FR.]

Vs. 29. **Comprimere manus** est continere, temperare manibus. Sic *animum comprimere* Cic. pro Flacco 104 cap. 22. [extr.] *Remittant spiritus, comprimant animos suos, ponant arrogantiam. Comprimere vocem* est desinere loqui. Pseudolo I. 4. 18. *Sed comprimenda est mihi vox atque oratio.* Mostell. I. 3. 46. *Vix comprimor, quin involem illi in oculos stimulatrici.* i. e. vix contineo me. Livius: *eodem*

metu compressi Hetrusci quieverunt. *Comprimere consilium alicuius* Plaut. Mercat. II. 3. 6. *Ita mihi mala res obiicitur aliqua, bonum quae meum comprimit consilium.* i. e. inhibet atque impedit, quominus id exsequi possim. *Comprimere animam* est continere spiritum, non respirare, in Phorm. V. 6. 29. *Accessi, adstiti: animam compressi, aurem admovi.*

Vs. 42. Relictum esse alicui arrhaboni est relictum esse pro obside, pro pignore. Sic M. Cato apud Gell. lib. XVII. cap. 2. [sub fin.] *Cum tantus arrhabo penes Samnites populi Rom. esset.* id quod ipse explicans ait: *arrhabonem dixit sexcentos obsides, et id maluit quam* pignus *dicere.* Alias *arrhabo* proprie est particula pretii, quae velut in antecessum datur, ut sit quasi pignus emptionis. Mostell.
105 III. 1. 106. [vs. 115.] cum dixisset, aedes esse emptas duobus talentis, adiungit: *sed arrhaboni has dedit quadraginta minas.* Milite IV. 1. 11. servus militi portans annulum inquit: *hunc arrhabonem amoris primum a me accipe.* id est, pignus et certissimum signum. Poen. V. 6. 22. *Arrhabonem hunc pro mina mecum fero.* hoc, inquit, seu hanc rem, quam teneo manu, aufero, tamquam pignus pro mina, quam mihi debes.

ACT. IV. SC. 1. [2.]

Vs. 5. Latere tecto abscedere est discedere integrum sine clade aut vulnere, retrahere se vel recedere ab negotio sine damno aut pudore. Translatio desumpta est a re militari, ubi *latere tecto* dicuntur *discedere*, qui ex loco insidiarum aut hostilium copiarum pleno discedunt scutis satis muniti, ut hostes aggredi non possint; contra *latere aperto*, cum non sunt satis muniti et ictibus telorum expositi. Caes. de bell. Gall. lib. I. cap. 25. *Ex itinere nostros latere aperto aggressi, circumvenire coeperunt.* lib. II. cap. 23. *Quorum pars aperto latere legiones circumvenire coepit.* lib. VII. cap. 82. *Veriti, ne ab latere aperto ex superioribus castris eruptione circumvenirentur.* Sed et alias, quia in pugnis gladiatoriis alter alterius latus petere solet. Hinc phrases illae: *petere latus alicuius, petere alium per alterius latus, offendisse latus.* Cic. pro Muraena cap. 26. [§. 52.] *Etenim sciebam Catilinam non latus aut ventrem,*
106 *sed caput et collum solere petere.* pr. Cluent. cap. 62. [§. 175.] *Cecidisse ex equo dicitur et homo infirma valetudine latus offendisse vehementer et paucis diebus esse mortuus.*

Vs. 6. Eripere alicui grandem bolum ex faucibus est magnum lucrum, magnum commodum. Translatio desumpta a piscantibus reti, quod appellatur *iaculum.* Nam *bolus* proprie idem quod *iactus.* Plaut. Pers. IV. 4. 107. *Dabit*

haec tibi grandes bolos. i. e. grandia lucra. Idem Poenulo vs. 101. prol. *Qui amare cernit, tangere hominem volt bolo,* id est, circumvenire, fraudare aliqua summa pecuniae. Trucul. IV. 3. 70. *Verum hoc ego te multabo bolo: sex talenta magna a dote demam pro ista inscitia.*
(Sequuntur in ed. Ox. quae ad vs. 15. scen. sq. dicuntur. FR.)

ACT. IV. SC. 2. [3.] 107

Vs. 5. Ex sententia obtigisse, id est, ex voto, ut desiderabam. Sic IV. 5. 17. *Vah! gloriare evenisse ex sententia.* Adelph. III. 4. 37. [scen. 3. vs. 66.] *Pisces ex sententia nactus sum.* i. e. quales cupiebam. Capt. II. 2. 97. *Nec quemquam fideliorem, neque cui plus credat, potes mittere ad eum, nec qui magis sit servus ex sententia.* Aul. IV. 1. 3. *Nam qui hero ex sententia servire servos postulat.* Hic notanda differentia inter has tres formulas: *ex sententia, ex animi mei sententia, de sententia.* Prima significat, quod dictum est: secunda est iurantium. Liv. lib. XXIII. [lib. XXII. cap. 53.] *Scipio stricto super capita consultantium gladio: ex mei animi sententia, inquit, ut ego rempublicam populi Romani non deseram, neque alium civem Romanum deserere patiar. Si sciens fallo, tum me, Iupiter Optime Maxime, domum, familiam remque meam pessimo letho afficias. In haec verba, Luci Caecili, iures postulo, ceterique qui adestis: qui non iuraverit, in se strictum hunc gladium sciat.* Aulus Gell. lib. IV. cap. 20. *Censor adigebat de uxoribus solenne iusiurandum. Verba ita erant concepta: ut tu ex animi tui sententia uxorem habes. Qui iurabat, cavillator quidam et nimis ridicularius fuit. Is locum esse sibi ioci dicendi ratus, quum ita, uti mos erat, censor dixisset: et* [leg. *ut*] *tu ex animi tui sententia uxorem habes; habeo quidem, inquit, uxorem, sed non ex animi tui* [leg. *mei*] *sententia.* Tertia formula, *de sententia* alicuius facere dicimur, quod consilio et auctoritate alicuius 108
facimus. Sic Cic. pro Rosc. Am. cap. 10. in. *Quod is simul atque sensit, de amicorum cognatorumque sententia Romam confugit.* in Verr. lib. V. cap. 6. *Tu quos servos arma capere ac bellum facere in Sicilia voluisse cognoras, et de consilii sententia iudicaras.* h. e. consentientibus illis, quos in consilium adhibueras. pro Cluent. cap. 65. [§. 184.] *Quae ut Romae de amicorum sententia statuerat satis esse quaesitum.* in Pisonem cap. 15. [§. 35.] *Legem comitiis centuriatis tulit P. Lentulus consul de collegae Q. Metelli sententia.* [De his nihil legitur apud Ruhnken. FR.]

Vs. 15. Sumere operam, laborare, alicui rei studere. Plaut. Curcul. IV. 1. 7. *Ne nimio opere sumat operam, si quem conventum velit, commonstrabo.* Menaech. II.

I. 19. *Operam praeterea nunquam sumam quaerere.* Mercat. V. 2. 94. *Certum 'st exsequi, operam ut sumam ad pervestigandum, ubi sit illaec.* Sticho I. 2. 21. *Exorando, haud adversando sumendam operam censeo.* [De hac formula nihil dictavit Ruhnk. FR.]

ACT. IV. SC. 3. [4.]

Vs. 5. Pendere animi, anxium, sollicitum, suspensum esse; et solum *pendere* ita usurpatur. Sic Seneca de benef. lib. II. cap. 5. *Ita maior est muneris gratia, quo minus diu pependit.* scilicet ille, cui pretinus datum est. Idem lib. VI. cap. 16. *Ille magis pependit, quam medico necesse est; pro me, non pro fama artis timuit.* Plin. lib. IV. ep. 9. *Iulius Bassus est accusatus sub Vespasiano a privatis duobus: ad senatum admissus diu pependit.* id est, dilatus est, sic ut nesciret, damnandusne an absolvendus foret. Id. Plin. lib. VI. ep. 6. *Pendeo ergo et exerceor spe atque afficior metu.* Eleganter quoque dicunt *animi pendere.* Cic. de leg. lib. I. cap. 3. [§. 9.] *Ego animi pendere soleo, quum semel quid orsus, traducor alio.* Plaut. Mercat. I. 1. 57. [2. 54.] *Obsecro, dissolve iam me, nimis diu animi*
09 *pendeo.* Liv. lib. VII. cap. 30. *Quid illis nos, patres conscripti, sollicitis ac pendentibus animi renunciare iubeatis.*

Vs. 18. Traducere pompam proprie dicitur de apparatu sacrorum, neque *pompa* quicquam est aliud quam apparatus sacer et turba hominum eundem festo habitu comitantium. Romani κατ' ἐξοχὴν usurpabant de apparatu Circensium ludorum, cum Deorum simulacra, imposita ferculis et thensis, deducentibus ac comitantibus magistratibus, sacerdotibus aliisque illustribus viris, propter circum veherentur. Suet. Iul. cap. 76. *Sed et ampliora etiam humano fastigio decerni sibi passus est: sedem auream in curia et pro tribunali, thensam et ferculum Circensi pompa.* Plaut. Mil. I. 1. 67. *Quae me ambae obsecraverint, ut te hodie quasi pompam illac praeterducerem.* Iterum Suet. Cal. 15. *Inferiasque his annua religione publice instituit: et eo amplius matri Circenses carpentumque, quo in pompa traduceretur.* M. Seneca praef. lib. I. controvers. *Sed iam non sustineo vos morari: scio quam odiosa res sit Circensibus pompa.* quod instar proverbii est, cum significare volumus, odiosa tarditate quamcunque rem procedere et explicari. Cic. de off. lib. I. cap. 36. [§. 131.] *Cavendum est autem, ne aut tarditatibus utamur in gressu mollioribus, ut pomparum ferculis similes esse videamur.* Ovid. lib. I. vs. 147. de arte amandi:

At cum pompa frequens coelestibus ibit eburnis.

10 *coelestes eburnos* vel *eburneos* dicit, quoniam statuae Deo-

rum fere erant ex marmore. Hinc transfertur ad quemcunque alium apparatum vel agmen hominum solennius deducentium et prosequentium aliquem. Ut hic apud Ter., Plaut. Bacchid. I. 2. 6. *Quo nunc capessis te hinc adversa via cum tanta pompa?*

ACT. IV. SC. 4. [5.]

Vs. 13. Non possum pati eleganter dicitur pro, non possum me continere, non possum durare. Sic Eunuch. I. 1. 7. *Ubi pati non poteris, cum nemo expetet, infecta pace, ultro ad eam venias.* Hecyr. I. 2. 108. *Denique ubi non quit pati, simulat se a matre arcessi ad rem divinam, abit.* et eadem fabula IV. 1. 23. *Nam nuptam filiam negabas posse te pati tuam cum eo, qui meretrices amaret.*

ACT. IV. SC. 5. [6.]

Vs. 23. Obsecundare alicui, concedere, loqui aut facere ad alicuius gratiam. Plaut. Trucul. IV. 2. 3. *secundare tempus* pro *subservire tempori atque aptare se tempori*; verba sunt: *Nunc dum isti lubet, tum habet, tempus ei res secundes.* h. e. tempori ne desis. Sic apud Liv. lib. II. cap. 38. *Et eos ipsos sedulo audientes secunda irae verba.* h. e. subservientia, subscribentia irae, iram approbantia. lib. VIII. cap. 12. *Tres leges secundissimas plebi, adversas nobilitati tulit.*

ACT. IV. SC. 7. [8.] 111

Vs. 29. Obsaturari alicuius rei, satietatem, taedium, nauseam concipere. *Hae res vitae me saturant, soror.* id est, faciunt, ut me mortuam malim.

ACT. V. SC. I.

Vs. 26. Subolere, sentiri, animadverti, deprehendi. Sic Plaut. Pseud. I. 5. 7. *Atque id iam pridem sensi ego, et subolet mihi.* Trin. III. 2. 72. *Scio equidem te, animatus ut sis video, subolet, sentio.*

Vs. 36. Familia interdum eleganter accipitur pro patrimonio seu re familiari. ut hic: *decem dierum vix mi est familia.* h. e. intra decem dies res familiaris mea peribit, bona omnia mea deerunt absumpta. Sic autor ad Herennium lib. I. cap. 23. [cap. 13. §. 23.] *Pater familias uti super familia pecuniave sua legaverit, ita ius esto.* iterumque: *Si pater familias intestatus moritur, familia pecuniaque eius agnatum gentiliumque esto.* Quae ambae leges viden-

tur fuisse XII tabularum, et familia pecuniaque nihil aliud significat quam bona. Cic. de orat. lib. I. cap. 56. [§. 237.] *Nec, si parvi navigii et magni eadem est in gubernando scientia, idcirco qui, quibus verbis herctum cieri oporteat, nesciat, idem herciscundae familiae caussam agere non pos-*
112 *sit.* *Herciscere familiam*, phrasis veteris iuris, idem est quod hereditatem seu hereditaria bona dividere. *Erctum* vel *herctum* idem quod hereditas. Festus fragm. 711. [edit. Gothofred. pag. 283. vs. 41.] Unde *erciscundae familiae iudicium* dicitur, quasi arcendae ab hereditate, quod fit in bonorum divisione. *Herctum citum*, quod fit inter consortes, in antiquis lib. legg. R. legitur. Nimirum *herctum* significat patrimonium, *citum* vero divisum. Glossae Graeco-Latinae: *διαίρεσις ὑπαρχόντων, hercti citus.* ubi *citus* substantivum est et significat divisionem. Utriusque vocis notio evidentior est in ista formula, *hercto non cito*, quod est, patrimonio non diviso; et dicebantur hercto non cito esse coheredes vel consortes, quamdiu erant in communibus bonis. Servius in lib. VIII. Aen. 1315. B. [ad vs. 642. *Haud procul inde citae Medum in diversa quadrigae Distulerant.*] *Ut est in iure, ercto non cito, i. e. patrimonio vel hereditate non divisa: nam citus cum divisus significat, ci longa est.* Gellius lib. I. cap. 9. *Omnes simul qui a Pythagora in cohortem illam disciplinarum recepti erant, quod quisque familiae pecuniaeque habebat, in medium dabant, et coibatur societas inseparabilis, tanquam illud fuit antiquum consortium, quod iure atque verbo Romano appellabatur κοινόβιον* (coenobium) *hercto non cito.*

Vs. 39. Animo esse communi, id est, valde civili, facili, aliis indulgenti. Sic et *homo communis* dicitur valde popularis, commodus inter cives, patiens aequi. Cornel. Nep. in vita Attici cap. 3. *Hic autem sic se gerebat, ut*
113 *communis infimis, par principibus videretur.* Suet. Claud. cap. 21. *Nec ullo spectaculi genere communior aut remissior erat, adeo ut oblatos victoribus aureos prolata sinistra, pariter cum vulgo, voce digitisque numeraret.* Cic. fam. lib. IV. ep. 9. *An, qui in bello, quum omnium nostrum coniunctum esse periculum suo cerneret, certorum hominum minime prudentium consilio uteretur, eum magis communem censemus in victoria futurum fuisse, quam incertis rebus fuisset?* [Orellius legit: *An qui in bello, quum omnium nostrum coniunctum esset periculum, suo et certorum hominum minime prudentium* etc.] Mamertinus in Panegyrico ad Iulianum pag. 6. *Cum alios principes labor truces, remissos desidia reddiderit, semperque seriis imperatoribus gratia, communibus defuerit industria.* [Cf. quae scripsi ad Xenoph. Hier. cap. 8. §. 10. FR.]

Vs. 76. Confutari dictis, castigari, redargui, ut paullo ante loquitur, retundi ac redigi, ut quo te vertas nescias. Sic Phorm. III. 1. 13. *Confutavit verbis admodum iratum senem.* Vulgus longe aliter utitur hoc verbo: vix enim usurpat, nisi cum agitur de disputando in schola; at longe amplius veteres. Liv. lib. XXXVII. *Nihil amplius dies noctesque agitabat animo, quam ut verba magnifica eius rebus confutaret.* Cic. de prov. consul. cap. 13. init. *Semper illas nationes nostri imperatores refutandas potius bello quam lacessendas putaverunt.* Tusc. Quaest. lib. II. cap. 22. [cap. 23. §. 55.] *In dolore maxime est providendum, ne quid abiecte, ne quid timide, ne quid ignave, ne quid serviliter muliebriterque faciamus: in primisque refutetur ac reiiciatur Philoctetaeus ille clamor.* Intelligit eiulationem, quam 114
fingebatur in tragoediis fecisse in Lemno relictus a Graecis ad Troiam euntibus Philoctetes. Rursum Cic. de harusp. resp. cap. 4. [§. 7.] *Resistam, et aut concedente aut etiam adiuvante Milone, eius conatum refutabo.* Sall. in fragm. hist. lib. VI. *Se regibus devovent, et post eos vitam refutant; adeo illis ingenita est sanctitas regii nominis.*

ACT. V. SC. 2.

Vs. 9. Esse animo omisso, hoc est, negligenti, dissoluto, ad nihil animum advertenti. Sic etiam Adelph. V. 3. 45. *At enim metuas, ne ab re sint tamen omissiores paulo.* h. e. ne rem familiarem parum curent, potius prodigant et absumant, quam acquirant et conservent.

Vs. 10. Primum aliquid habere, ante omnia curare, praecipuum ac potissimum ducere. Sic Adelph. V. 4. 4. *Ut illa, quae te scire credas, nescias, et quae tibi putaris prima, in experiundo ut repudies.* Sallust. in bello Catilinario [cap. 36.] *Domi otium et divitiae, quae prima mortales putant.* Cato de re rust. cap. 1. *Praedium, quod primum siet, si me rogabis, sic dicam.* h. e. optimum et maxime expetendum. Sic etiam de personis usurpat Cicero *primum hominem, primum virum* pro excellenti, primario, ut alias loquitur. lib. I. in Verr. cap. 26. [§. 67.] *Iactatur domi suae vir primus et homo honestissimus.* Idem in 115
Verr. lib. V. cap. 63. *Statui egomet mihi tum modum orationi meae et Caio Numitorio, equiti Romano, primo homini, testi meo.*

— — Consulere in longitudinem, providere ac parare sibi ac suis rebus profutura in futurum tempus, in longam diem. Amant sic uti verbo *consulere*. Adelph. V. 9. 36. *Quae vos propter adolescentiam minus videtis, magis*

impense cupitis, consulitis parum. Hecyr. V. 1. 20. *Quem alium tibi firmiorem amicum, dum tempus consulendi e* Sic supra Andr. *consulere in commune* act. III. 3. 16. *O te in commune ut consulas.* Tacitus de vita Agricolae [c XII.] *Nec aliud adversus validissimas gentes pro nobis liu*s, *quam quod in commune non consulunt.* apud qu etiam, quod Terentius dicit *consulere in longitudinem*, ite effertur, *consultare in longius*, Histor. de Vitell. lib. I [cap. 95.] *Ipse abunde ratus, si praesentibus frueretur, n in longius consultans, novies millies sestertium paucissi mensibus intervertisse creditur.*

Vs. 22. Parare sibi aram aut precatorem, hoc e unicum suffugium aut subsidium in maximo periculo. D sumtum est inde, quod servi, qualis hic Syrus, in gra bus peccatis aut in aram confugere aut deprecatorem su
116 ornare solerent, atque ita iram domini evadere. Pla Most. V. 1. 45. ubi servus Tranio: *ego interim hanc ar occupabo.* Rudent. III. 3. 26. *Assidite hic in ara.* et vs. *aram habete hanc vobis pro castris.* Sed et alias supplic eo confugere solebant: quo allusit Cic. in Verr. lib. I [cap. 3. §. 8.] *Magistratuum autem nostrorum iniurias multorum tulerunt, ut numquam ante hoc tempus ad ara legum praesidiumque vestrum publico consilio confugerent* lib. V. [cap. 48. §. 126.] *Hic locus est igitur unus, quo pe fugiant: hic portus, haec arx, haec ara sociorum. Prec tor* autem idem quod *deprecator*, qui pro alio rogat. Si Asin. II. 4. 9. *Siquidem hercle nunc summum Iovem te dic detinuisse, atque is precator assit, malam rem effugies nu quam.* Epid. V. 2. 20. *Te profecto Apoecides nihil mor mihi precatorem.* Pseud. II. 2. 11. *Nam ego precator e patronus foribus processi foras.*

Vs. 45. Pacem in leges conficere suas, hoc est iis conditionibus et pactis, quae maxime velis. Sic voc bulum *legis* accipitur in Phorm. III. 2. vs. ultimo: *Mea le utar, ut potior sit, qui prior ad dandum est.* Cic. in Ve rem III. [cap. 25. §. 62.] *His contumeliis scitote Q. Lolliu coactum ad Apronii leges conditionesque venisse.* Iust. lib. I cap. 3. *Scythis bellum indixit Vexoris rex Aegyptius, mis primo lenonibus, qui hostibus parendi legem indicerent.* I lib. V. cap. 8. *In has leges traditam sibi urbem Lacedaem nii formandam Lysandro tradiderunt.*

117 ACT. V. SC. 3.

Vs. 7. Restare confidenter pro *repugnare, resti pugnando.* Sic Tibull. [Propert. lib. III. 8. vs. 31. ubi leg tur *dum vincunt Danai.*]

Dum fugiunt Troes, dum restat barbarus Hector.

Cicer. de fin. lib. II. *Stoici nullam quaerentes voluptatem restant.* i. e. contradicunt, adversi sunt. Sic de invent. lib. I. [cap. 3. §. 4. ubi Orell. legit *resistere*, cum unus modo cod. praebeat lectionem *restare*.] *restare audacibus.* Ovid. Metam. III. [vs. 326.]

Is mihi, dum resto, iuvenili guttura pugno
Rupit.

Vs. 12. **Subditum esse.** Haec propria notio vocabuli *subditus* et *subdere*, videlicet in veri locum falsum supponere, alium pro alio subiicere. Liv. lib. XL. [cap. 9. init.] *Non nequidquam* (id est *frustra*) *isti unum Demetrium filium te habere, me subditum et pellice genitum appellant.* Plaut. Epid. I. 2. 37. *Ut meum tergum stultitiae tuae subdas succidaneum?* Sic etiam *subditivus* et *subdititius* dicuntur. Suet. Neron. cap. 7. *Britannicum fratrem, ut subditivum, apud patrem arguere conatus est.*

Vs. 13. **Istuc inimicis siet.** Formula deprecandi et abominandi illa, quae aversabantur. Ovid. de arte amandi lib. III. [vs. 247.]

Hostibus eveniat tam foedi causa pudoris 118
Inque nurus Parthas dedecus illud eat.

Pedo Albinovanus ad Liviam:

Urbs gemit et vultum miserabilis induit unum:
Gentibus adversis forma sit illa precor.

Propert. lib. III. eleg. 8. [vs. 20.]

Hostibus eveniat lenta puella meis.

ACT. V. SC. 4.

Vs. 7. **Ita mihi atque huic sis superstes.** Formula, quali utebantur veteres tum ad iurandum, tum ad obsecrandum. Sensus est: quam sancte opto et voveo, te mihi et patri tuo esse superstitem, (nullum autem maius votum parentes habent, quam ut superstitibus et heredibus liberis moriantur,) tam sancte tibi affirmo. Sic Hecyr. II. 1. 10. *Tu nescis?* S. *Non, ita me Dii bene ament, mi Laches, itaque una inter nos agere aetatem liceat.* Adelph. IV. 5. 48. *Ita velim me promerentem ames, dum vivas mi pater, ut me hoc delictum admisisse in me, id mihi vehementer dolet.* Amm. Marc. lib. XXIV. [cap. 3.] *Animabat Iulianus exercitum, non per caritates* (h. e. eas res easque personas, quas maxime caras habebat,) *sed per inchoatas negotiorum magnitudines deierans assidue: „Sic sub iugum mitteret Persas: ita quassatum recrearet orbem Romanum:" ut Traianus fertur aliquoties iurando dicta consuevisse fir-*

119 *mare: „sic in provinciae speciem redactam videam Daciam sic pontibus Istrum et Euphraten superem:" et similia plurima.* Obsecrandi exempla haec sunt: Plaut. Asin. I. 1. *Sicut tuum vis unicum gnatum tuae superesse vitae sospitem et superstitem, ita te obtestor.* Ovid. Fast. lib. IV. [v. 525. sqq.]

> *Sic tibi, quam raptam quereris, sit filia sospes,*
> *Surge, nec exiguae despice tecta casae.*
> *Cui Dea, duc, inquit; scisti qua cogere posses:*
> *Seque levat saxo subsequiturque senem.*

IO. FRED. GRONOVII
NOTAE
IN
ERENTII ADELPHOS

PROLOG. 120

Vs. 9. **Prima fabula** dicitur pro principio fabulae comoediae. Sic apud Ciceronem *prima provincia* dici-r, non respectu secundae vel tertiae, sed ut significet, aditu primo provinciae. Fam. lib. III. ep. 6. *Magno re a me petivit, ut Laodiceam protinus irem, te in prima ovincia esse.* Sic *ultima provincia* pro extremo fine seu ite provinciae. ad Att. lib. V. ep. 16. *Appius ut audivit venire, in ultimam provinciam se coniecit Tarsum usque.* c *ultimae aedes* pro postrema parte aedium. Heaut. V. 1. *Est mihi ultimis conclave in aedibus.*

ACT. I. SC. 1.

Vs. 6. **Parentes propitii**, id est, amantes, benigni. enim etsi verbum *propitius* saepe usurpetur de Diis, taen et de hominibus dicitur et perinde ut hic *propitios* rentes atque *iratam* uxorem inter se opponit Terentius, *propitium* et *iratum* Cic. ad Att. lib. VIII. ep. ult. *Hunc opitium sperant; illum iratum putant.* Cornel. Nep. Dio- 121
cap. 9. *Namque illi ipsi custodes, si propitia fuissent luntate, foribus effractis servare eum potuissent.*

Vs. 17. **Clementem vitam atque otium sequi**, h. e. tam non duram et laboriosam, sed facilem, nec negotio, sed tranquillam agere. Quam Terentius vocat *clentem vitam*, eam Cic. *lenem* lib. I. de off. 69. *Propterea, od eorum vita lenior et mores fuerant faciliores.* Sic etiam ui *otium* pro *amare vitam non negotiosam*, sic exprimit

Cic. pro Rabirio [pro Rab. Post. cap. VII. §. 17.] *Nos nunquam contemsimus, sed hanc vitam quietam atque sam secuti sumus.* Idem pro Mur. pag. 174. sect. 27. [§. *Fortunatos eos homines iudicarem, qui remoti a studiis bitionis, otium ac tranquillitatem vitae secuti sunt.*

Vs. 43. Mea sic est ratio, hic mos meus, haec suetudo. Sic infra III. 4. 11. [act. III. sc. 3. vs. 20.] *Vestr nequeam satis mirari rationem.* Cic. de orat. lib. II. p 154. sect. 292. [cap. 72. §. 292.] *Mea autem ratio in dicen haec esse solet, ut boni quod habeat, id amplectar, ex nem, exaggerem.*

122 Vs. 44. Malo coactus. Sic Cic. in Verr. lib. III. 25. [§. 62.] *Quid est Lolli? inquit; tu nisi malo coa recte facere nescis?* Sic apud Liv. lib. II. cap. 54. cum tricii tribunum plebis molestum ac turbulentum domi interficiendum curassent, aiebant: *malo domandam trib ciam potestatem.* Sen. Agamemnone vs. 955. [959.]

Sed agere domitam femina disces malo.

Iterum Cic. in Verr. lib. II. sect. 59. [§. 145.] *Civit imperio, metu, vi, malo adductae.* et rursus lib. III. 59. [cap. XXIII. §. 56.] *Vi, malo, plagis adductus est, frumenti daret, non quantum haberet, sed quantum cog tur.* [Nihil horum legitur in Dictat. Ruhnk. FR.]

ACT. I. SC. 2.

Vs. 29. Exspectatum eiicere foras est homine quem diu mori desideraveris, cuius mortem diu exspect veris, raptim ac festinanter exportare mortuum. Nota dus usus verbi *exspectare.* Sic infra V. 4. 20. *Illum vivat optant, meam autem mortem exspectant.* Hecyr. I 2. 20. *Haec mihi nunc cura est maxima, ut ne cui me longinquitas aetatis obstet; mortemve exspectet meam.* R tilius Lupus de figuris sententiarum: *filius respondit, esse opus saepe eadem se oratione moneri, nec se patris m tem exspectare.* [Vid. Ruhnk. pag. 97. ed. meae. FR.]

Vs. 37. Olere unguenta, spirare unguenta, flagra
123 odoribus. Sic *olere myrrham* Plaut. Asin. V. 2. 79. *Ani foetetne uxoris tuae?* D. *Myrrham olet.* Poenulo I. 2. *Istas pistorum amicas, quae tibi olent stabulum stat et sellam.* h. e. fornicem vel lupanar; nam in fornicibus v lupanaribus meretrices, quae prostituerentur et publice p terent quaestus gratia, *stare* et *sedere* dicebantur. Menaec I. 2. 59. *Olfacta igitur hinc Penicule: quid olet?* respon Pen. *Furtum, scortum, prandium.* Seneca etiam elegant ep. 86. loquens de antiquis illis laboriosis et minime laut hominibus: *Hoc loco dicet aliquis: liquet immunditia*

...e. Quid putas illos oluisse? militiam, laborem, virum. ...tquam munda balnea inventa sunt, spurciores sunt. [De ... nihil habetur apud Ruhnk. FR.]

Vs. 65. Humane pati, id est, aequo animo pati, non ...gre ferre, neque tumultuari. Imitatus est Cic. Tusc. Quaest. ... II. sect. 27. *Morbos toleranter atque humane ferunt.*

ACT. II. SC. 1.

Vs. 22. Ornatus ex suis virtutibus. Sic prorsus ...ut. Capt. V. 3. 20. *Sed eccum incedit huc ornatus haud ... suis virtutibus.* In utramque partem, tam in bonam ... in malam, potest usurpari; nam in bonam usurpat ...itus, in malam Terentius.

Vs. 26. Erit melius. Formula et consilii et quasi 124
...nunciationis ac minarum. Sic apud Livium lib. III. cap. ... *Tum Appius iam prope esse ratus, ut ni violentiae eo... pari resisteretur audacia, victum imperium esset: non ... melius, inquit, nisi de quo consulimus, vocem misisse.* ...ra IV. 5. 5. *Cur hunc aliquantisper non ludo? Melius* ... Tacit. lib. XV. pag. 26. [hist. lib. XV. cap. 66.] *Mis... se ad aegrotum Senecam, ut viseret conquerereturque, ... Pisonem aditu arceret? Melius fore, si amicitiam fami... congressu exercuissent.* [Cf. Heindorf. ad Horat. Serm. ... 1. 45. FR.]

ACT. II. SC. 2.

Vs. 4. Inique comparata certatio, in qua admo... imparia sunt paria, in qua componuntur duo inter se ...nime pares. Eleganter verbum *comparari* accipitur pro *...versarium accipere, opponi alicui parem.* Sic Cic. pr. ...int. sect. 1. *Verum ita se res habet, ut ego, qui neque ... satis et ingenio parum possum, cum patrono disertissimo ...mparer.* h. e. patronum disertissimum adversarium habeam. ...ic etiam Plaut. Asin. III. 3. 78. *Prehende auriculis, com...ara labella cum labellis.* id est, compone ad osculandum. ... etiam *par* nonnunquam idem est quod adversarius. Liv. ... XXII. cap. 35. *Aemilius Paulus proximo comitiali die, ...cedentibus omnibus, qui cum Varrone certaverant, par... magis in adversando, quam collega, datur consuli.*

Vs. 7. Os praebere, pati multum, quasvis verborum 125
... manuum contumelias. Sic Cic. ad Att. lib. I. ep. 18. [§. 7.] *...li autem filius, o Dii immortales! quam ignavus ac sine ...imo miles! quam dignus, qui Palicano, sicut facit, os ... male audiendum quotidie praebeat!* Id. in Verr. lib. III. ...ect. 16. [§. 41.] *Qui testes interrogari priori actione no-*

lueris, et iis tacitum os tuum praebere malueris. Tac. Hist. lib. III. [cap. 31. extr.] *Praebebant ora contumeliis, et posita omni ferocia, cuncta victi patiebantur.* Est autem desumpta translatio ab actoribus comicis, in quibus erant, qui risus caussa ab aliis crebris colaphis percutiebantur. Mart. lib. II. epigr. 72.

Os tibi percisum, quanto non ipse Latinus
Vilia panniculi percutit ora sono.

Vs. 35. De sorte etiam in dubium venire dicuntur proprie, qui malae fidei hominibus ac decoctoribus fenori dederunt, et non tantum non usuras accipiunt, verum etiam ipsam summam, quam pernumeraverunt. *Sors* enim hic significat ipsum fenus seu pecuniam sub usuris traditam. Sic Liv. lib. VI. cap. 15. *Sortem aliam ferte: de capite deducite, quod usuris pernumeratum est.* ubi eodem sensu *sors* et *caput* dicuntur, nempe pro eo, quod nunc quoque vulgo Capital dicimus. Colum. de re rust. lib. III. cap. 3. [§. 9.
126 ed. Gesner.] *Fit in assem summa sortis et usurarum, triginta duo millium quadringentorum octoginta nummorum.*

ACT. II. SC. 3.

Vs. 9. Omnia sibi postputare prae alterius lucro, id est, postponenda ducere. Sic Hecyr. III. 5. 33. *Cum te postputasse omnes res prae parente intelligo.*

ACT. II. SC. 4.

Vs. 13. Absolvere aliquem, expedire, expeditum dimittere. Sic Plaut. Epid. III. 4. 34. *Te absolvam brevi.* et hic supra vs. 13. *Ibo ad forum, ut hunc absolvam.* In eadem materia L. 37. de probationibus: *Si mutuatus sum pecuniam, ut creditorem tuum absolvam.* Plaut. Curc. III. 1. 84. *Sequere hac, te absolvam, qua advenisti gratia.*

ACT. III. SC. 1.

Vs. 8. E re nata melius fieri non potuit, hoc est, prout res ceciderunt, prout reliqua se habent, commodius nihil potuit fieri. Plaut. Bacch. II. 2. 40. *Ut rem hanc natam esse intelligo, quod ames, paratum est, quod des, invento opus est.* Cas. II. 5. 35. *Ita rem natam esse intelligo, necesse est versis gladiis depugnarier.* Cic. ad Att. lib. VII. ep. 8. [§. 2.] *Diem tuum ego quoque ex epistola quadam tua,*
127 *quam incipiente febricula scripseras, mihi notaveram et animadverteram, posse pro re nata te non incommode ad me in Albanum venire tertio Non. Ianuar.* Sic ad Att. lib. XIV.

cap. 6. *Antonii colloquium cum heroibus nostris pro re nata non incommodum.*

ACT. III. SC. 3.

Vs. 4. Alicui rei esse, hoc est, frugi esse hominem, probum et publice utilem esse. Sic contra *nulli rei esse.* Plaut. Stich. V. 4. 38. *Nulli rei erimus postea.* id est, plane inutiles. Gell. lib. IX. cap. 2. *Erraticum esse hominum et nulli rei incolamque sordentium ganearum.* lib. XIII. cap. 30. *Nosti, magister, verbum illud egregie vetus, musicam, quae sit abscondita, eam esse nulli rei.* Symmachus lib. I. ep. 37. *Fidem plerique verbo ostentant, opere deserunt: quod genus nulli rei est nisi ad loquendum.*

ACT. III. SC. 4.

Vs. 7. [act. III. sc. 3. vs. 16.] Dare in sumptum est dare pecuniam ad insumendum, ad ea, quae sunt sumptui necessaria. Sic *habere in sumptum* Cic. Fam. lib. IX. ep. 20. *Ad illam tuam lautitiam, veterem dico, cum in sumptum habebas.* h. e. habebas, unde viveres, unde necessarios sumptus sustineres. Plaut. Most. III. 1. 7. *Danista adest, qui dedit argentum fenori, quo amica est empta, quoque opus in sumptus fuit.* idem quod primum impendendum fuit. Cic. 128
ad Att. lib. XV. ep. 15. *Quare velim cures, ut permutetur Athenas, quod sit in annuum sumptum.* Sic *deesse alicui in sumptum.* Seneca de benef. lib. II. cap. 10. *Arcesilaus amico pauperi et paupertatem suam dissimulanti, aegro autem et ne hoc quidem confitenti, deesse sibi in sumptum ad necessarios usus, cum clam succurrendum iudicasset, pulvino eius ignorantis sacculum subiecit.* In his omnibus deest vocabulum *pecunia* vel *nummi: habere in sumptum*, scil. pecuniam; *deesse in sumptum*, scil. nummos.

Vs. 69. [act. III. sc. 3. vs. 78.] Optare meliorem mentem dicimus vel hoc facimus illis, quos insanire, quos male consulere nec sapere iudicamus. Sic Menecrati medico, qui elatus fortuna artis suae se Iovem appellabat et Philippo Macedoni, vel ut alii volunt, Agesilao Spartano, scripserat: *Menecrates Iupiter Philippo Regi salutem* — rescriptum est: *Rex Philippus Menecrati sanam mentem.* [Conf. quae narrat Freinsh. ad Curtium III. 6. 17.] Graeci dicunt illud χαίρειν, hoc ὑγιαίνειν. Liv. lib. XXXIX. cap. 16. *Optare igitur unusquisque vestrum debet, ut bona mens suis omnibus fuerit. Si quem libido, si furor in illum gurgitem abripuit, illorum eum, cum quibus in omne flagitium et facinus coniuravit, non suum iudicet esse.* M. Seneca controv. 25. *Ut salva provincia sit, optemus meretrici bonam mentem.*

129 ACT. III. SC. 5. [4.]

Vs. 34. **Ut captus est servorum, non malus.** Haec formula, *ut captus est eorum*, solet addi laudi eorum, qui non sunt nimis magnae laudis capaces. Sic Cic. Tusc. Quaest. lib. II. sect. 27. *Graeci autem homines non satis animosi, prudentes, ut est captus hominum, satis hostem adspicere non possunt: sed iidem morbos toleranter et humane ferunt.* Caes. de bello Gall. lib. IV. cap. 3. *Ad alteram partem succedunt Ubii, quorum fuit civitas ampla atque florens, ut est captus Germanorum.*

Vs. 44. **Impetrare aliquid voluntate**, id est, impetrare ab aliquo volente, non invito aliquo, sponte alicuius. Sic Liv. lib. V. cap. 17. *Si qui iuventutis suae voluntate ad id bellum eant.* eod. libro cap. 52. *Si non voluntate mansimus in Capitolio per tot menses obsidionis.* lib. XXXV. cap. 22. *Castella multa expugnavit, alia voluntate ad eum defecerunt.*

Vs. 62. **Me indicente.** Locutio rara et elegans pro *non dicente* vel *tacente*. Imitatus est Livius lib. XXII. 39. *Nam et duo boni consules, etiam me indicente, omnia e republica fide vestra faceretis.*

130 ACT. III. SC. 6. [5.]

Vs. 4. **Si est, facturus ut sit officium suum.** Notandum genus loquendi Terentio amatum; potuisset enim brevius dicere: *Si est facturus officium suum;* prorsus idem et aeque plenus fuisset sensus. Sic Hecyr. III. 5. 51. *Si est, ut velit reducere uxorem, licet.* Potuisset enim et hic dicere, *si vult reducere uxorem.* Eadem fab. IV. 1. 42. *Roga velitne uxorem, an non: si est, ut dicat velle se, redde.* eodem actu sc. 4. vs. 11. [15.] *Sin est, ut aliter tua siet sententia, accipias puerum.* et vs. 102. *Manere affinitatem hanc inter vos volo, si ullo modo est, ut possit.* Phorm. II. 1. 40. *Si est, patrue, culpam ut Antipho in se admiserit.* ubi etiam Donatus notat honestam esse locutionem, *si est, ut admiserit*, pro *si admiserit.* [Similem locutionem Ciceroni pro Sext. cap. 45. §. 97. nuper restituit Orellius: *Est igitur, ut ii sint* (optimates,) *qui et integri sunt* etc. Lucret. V. 1340. *Sic fuit, ut facerent* etc. FR.]

ACT. IV. SC. 1.

Vs. 2. **Cum maxime** eleganter dicitur veteribus pro *nunc ipsum, in praesenti, in praesentia.* Sic Cic. de harusp. resp. sect. 15. *Veruntamen antiqua negligimus: etiamne ea negligemus, quae fiunt cum maxime?* Sen. ep. 99. *Aequo animo excipe necessaria. Quid incredibile, quid novum eve-*

nit? Quam multis cum maxime funus locatur, quam multis vitalia eruuntur? Id. ep. 120. *Hoc quod futurum dico cum maxime fit, et pars eius magna iam facta est.* Id. de benef. lib. I. cap. 7. [3. extr.] *Hoc ut scias ita esse, ecce Thalia,* 131
de qua cum maxime agitur, apud Hesiodum Charis est, apud Homerum Musa. Interdum etiam dicunt *nunc cum maxime,* ut hic apud Terent. Ennius in Panegyrico: *Quarum invicta robora ne his quidem, qui nunc cum maxime gerunt, bellis inquirunt.* Noster Phorm. I. 4. 27. *Non sum apud me.* C. *Atque opus est nunc cum maxime ut sis, Antipho.*

ACT. IV. SC. 2.

Vs. 8. **Obnuntiare** Terentius hic usurpat pro, monendo efficere, ne aliquid fiat, atque adeo impedire vel efficere saltem, ne fiat in posterum, sed corrigatur. Transtulit autem rem et verbum hoc e disciplina augurum Rom. Augures et magistratus, quibus ius erat de coelo servare (nam hac proprie phrasi dicebantur contemplari coelum et ex signis in aëre apparentibus vel prosperum vel infaustum rei, quam suscipiebant, eventum divinare) si tonuisset aut aliquid mali accidisset, *obnuntiabant. Obnuntiare* autem erat dicere illi, qui comitia habiturus esset: *alio die.* quo significabatur, illum diem rei gerendae idoneum non esse, atque ita res impediebatur. Cic. Phil. II. sect. 33. [§. 83.] *Confecto negotio bonus augur,* alio die, *inquit. O impudentiam singularem! quid videras? quid senseras? quid audieras? Nec enim te de coelo servasse dixisti, neque hodie dicis.* et mox: *Augur auguri, consul consuli obnuntiavisti.* et statim: *Confitere te, cum* alio die *dixeris, sobrium non* 132
fuisse. ad Atticum lib. IV. ep. 3. *Proscripsit, se per omnes dies comitiales de coelo servaturum.* et mox: *nisi Miloni Appius obnuntiasset comitia futura.* rursum: *Metellus cum prima luce furtim in campum itineribus prope deviis currebat; assequitur inter lucos Milo: obnuntiat.* ad Quint. fratr. lib. III. ep. 3. *Comitiorum quotidie singuli dies tolluntur obnuntiationibus.* Sic fiebat, ut illis diebus comitia haberi non possent.

Vs. 11. **Irruere se.** Notandus usus verbi, quoniam active usurpat Terentius, veluti simplex supra III. 2. 21. *Ceteros ruerem, agerem, raperem.* et Apuleius imitatus est Terentium in Floridis: *Et quaerit quorsus potissimum in praedam superne sese ruat.* Sic *proruere* Eun. III. 5. 51. *Foras simul omnes proruunt se.*

Vs. 46. **Lecticuli in sole.** Lecticuli, quibus in sole seu loco aliquo, ubi maxime temperatus esset sol, iacerent et apricarentur, aut etiam, si quando lubido venisset, po-

tarent. Inter curas corporis habebant veteres, quam ap-pellabant *insolationem*. Ea duplex erat, ut nudi aut in
133 sole ambularent iacerentve, quod dicebant *uti sole asso*, aut oleo uncti, idque dicebant *sole uncto uti*. Cic. ad Att. XII. 6. *Et tu occupatus in meo quidem fortasse aliquo negotio, et pro isto asso sole, quo tu abusus es in nostro pratulo, a te nitidum solem unctumque repetemus.* ubi dicit Cic., quod Atticus per pratulum domus suae illotus et sine unctione in sole apricatus fuisset, pro eo se, cum Romam venerit, lavationem et unctionem et tunc demum apricationem repetiturum. Sen. de brevitate vitae cap. 13. *Aut pila aut excoquendi in sole corporis cura consumsit vitam.* Eodem alludit Persius Sat. IV. vs. 18. *Assiduo curata cuticula sole.* et ibid. vs. 33. *At si unctus cesses, et figas in cute solem.* Plin. lib. VI. ep. 16. de morte sui avunculi: *Usus ille sole, mox frigidam gustaverat iacens, studebatque.* Eam ad rem lautiores homines habebant servos, quos *unctores* dicebant et *aliptas:* quod ultimum vocabulum origine Graecum, usu Latinum factum est. Corn. Celsus de re med. lib. I. cap. 1. *Sanus homo, qui et bene valet et suae spontis est, nullis obligare se legibus debet, neque medico neque iatroalipta egere.*

ACT. IV. SC. 4.

Vs. 13. **Reprehendere se** eleganter est reprimere se ac retinere ab aliqua re vel dicenda vel facienda, ad quam facile nos impetus potuisset ferre: desumptum ab eo, quod
134 *reprehendere* nonnunquam est idem quod manum iniicere, manu iniecta retinere ac revocare. Sic hac fab. prol. vs. 14. [In prologo haec leguntur: *Furtumne factum existumetis an locum Reprehensum, qui praeteritus negligentia est;* sed quem hic Gron. laudat versum, is invenitur apud Phaedr. V. 8. 4.] *Tempus elapsum semel non ipse possit Iuppiter reprehendere.* Cic. Acad. Quaest. lib. IV. sect. 45. [lib. II. cap. 45. §. 139.] *Revocat virtus vel potius reprehendit manu.* Plaut. Trin. III. 1. 23. *Celeri gradu eunt uterque, ille reprehendit hunc priorem pallio.*

ACT. IV. SC. 5.

Vs. 14. **Ut opinor et certo scio.** Formula elegans explicandi dubitationem, cum quasi primum dubitavimus et inter loquendum re considerata certius aliquid affirmamus. Sic Cn. Martius poeta vetus apud Gellium lib. X. cap. 24.

Nuper die quarto, ut recordor, et certe,
Aquarium urceum unicum domi fregit.

Cic. ad Att. lib. VI. ep. 3. §. 4. *Q. Cicero puer legit (ut*

pinor, et certe) epistolam inscriptam patri suo. Tale est illud Cic. in dial. de amic. [cap. 3. in.] *Qualis, ut arbitror, nemo unquam erit, et ut confirmare possum, nemo certe fuit.*

Vs. 37. Auctor his rebus quis est? hoc est, approbator, qui sua praesentia sententiaque rei firmitatem addiderit: hic enim *auctor* Latinis: et ita *auctorem fieri* est ratum habere, et ratum habendo negotium stabile atque firmum facere. Ceterum in hoc ipso negotio nuptiarum 135 ita Cic. in orat. pro Cluent. sect. 5. *Expulsa atque exturbata filia, nubit genero socrus, nullis auspiciis, nullis auctoribus, funestis ominibus omnium.*

Vs. 50. Indiligentem esse est rebus agendis et disponendis nullam adhibere curam. Sic *diligentiam* dicunt iuris consulti patrum familias propriam. Sic cum quis utendum accepit, eum aiunt exactam diligentiam rei custodiendae praestare debere. Haec diligentia in re administranda est; alia quae in studiis. Cicero quoque vocabulo *diligenter* utitur pro eo, quod est cum electu, electe, aut ut vulgo loquimur, nescio quam bene, cum distinctione et iudicio. Sic dicit *diligenter loqui Latine* in Bruto [cap. XXVIII. §. 109.] *Nam de Tito Flaminio, quem ipse vidi, nihil accepi nisi Latine diligenter locutum.* et eodem libro [cap. XXXVII. §. 140.] *Verba ipsa non illa quidem elegantissimo sermone: itaque diligenter loquendi laude caruit.* Sic *promiscue* et *diligenter* inter se tanquam contraria ponit Varro de ling. Lat. lib. V. [pag. 42. Gothofr.] *Sed quod his magis promiscue quam diligenter consuetudo est usa.* [Haec silentio praeteriit Ruhnken. FR.]

ACT. IV. SC. 6.

Vs. 6. Obsidere, diu perseverare in sedendo. Sic Plaut. Poen. prol. vs. 23. *Servi ne obsideant, liberis ut sit locus.* Pseud. III. 2. 18. *Hoc ego hodie fui solus obsessor* 136 *fori.* Liv. lib. III. cap. 5. [cap. 50. extr.] *Cuius iussu castra deseruissent? aut quid sibi vellent, qui armati Aventinum obsedissent?* Non enim illi infestabant Aventinum, sed ipsi illic sedebant ac morabantur.

ACT. IV. SC. 7.

Vs. 26. Abiicere dicimur eleganter eas res, quas cum fastidio et odio aliquo alienamus et interdum vili vendimus. Sic Plaut. Mostell. III. 3. 3. *Num nimio emptae tibi videntur aedes?* Th. *Nunquam aedepol me scio vidisse unquam abiectas aedes nisi modo hasce.* h. e. vili venditas. Sic apud Senecam; *abiicere beneficium* pro, *cum contemptu et fastidio dare.* de benef. lib. I. cap. 1. *Gratus esse adver-*

sus enim quisquam potest, qui beneficium aut superbe [illegible] *iecit, aut iratus impegit, aut fatigatus ut molestia careret, dedit?* lib. IV. cap. 29. *Quis beneficium dixit quadram panis aut stipem aeris abiecti?*

Vs. 34. Restim ductantem inter aliquos saltare. Alludit Ter. hac phrasi ad genus saltationis Graecis usitatum, quo funem tenentes saltitabant, fortasse et in diversum se invicem trahebant. Unde apud Horat. lib. I. epist. 10. vs. 48.

Tortum digna sequi potius quam ducere funem.

Erat etiam similis ludus puerorum, qui sparteam ducebant
137 restim et tam diu trahebant, donec aut rumperent, aut alteruter omisso fune in nates caderet. Alludit eodem Plaut. Poen. prol. vs. 116. *Iamne hoc tenetis? Si tenetis, ducite; cave dirumpatis.* Hinc proverbium apud Latinos elegans, *ducere funem contentionis*, pro *contendere, certare, vili litigare et propter rem non magnam pugnare.* Tertull. de pudicit. cap. 2. *Non decet ultra de auctoritate scripturum eiusmodi funem contentiosum alterno ductu in diversa distendere.*

ACT. V. SC. 1. [3.]

Vs. 17. Non aequum dicis; non. Observanda ratio loquendi propter geminationem particulae negativae, quae tamen hic non affirmat, sed fortius negat. Sic Cic. fam. lib. VII. ep. 30. *Haec tibi ridicula videntur; non enim vides. Quae si videres, lacrimas non teneres, non. Quid si cetera scribam? Sunt enim innumerabilia generis eiusdem.* [Hoc tamen loco alterum illud *non* alii haud agnoscunt.] Terent. supra 1. 2. 22. *Non est flagitium scortari adolescentulum, non est.* [ubi cf. Ruhnk.] Senec. de benef. lib. VII. cap. 25. *Non est ista admonitio, non: convitium est.* [Cf. Schaef. Apparat. ad Demosth. Tom. I. pag. 532. sq. FR.]

Vs. 31. Putare aliquid esse de lucro, aliquid non habere eo loco, quo quod certo exspectavimus, et quod in rationibus nostris duximus; sed pro eo, quod praeter spem advenit. Sic Cic. Tusc. lib. III. refert versus cuiusdam veteris poëtae [cap. 14. §. 30.]

Quam ob rem omnes, quum secundae res sunt maxume, tum maxume
138 *Meditari secum oportet, quo pacto advorsam aerumnam ferant:*
Pericla, damna, peregre rediens semper secum cogitet,
Aut fili peccatum, aut uxoris mortem, aut morbum filiae,
Communia esse haec; ne quid horum umquam accidat animo novum:
Quidquid praeter spem eveniat, omne id deputare esse in lucro.

ecyr. III. 1. 7. *Nam nos omnes, quibus est alicunde aliuis obiectus labos, omne quod est interea tempus, priusuam id rescitum est, lucro est.* Sic etiam eleganter Cic. b. IX. ep. 17. ad famil. *Sed ego ista, mi Paete, non uaero: primum, quia de lucro prope iam quadriennium vimus; si aut hoc lucrum est aut haec vita, superstitem epublicae vivere.* i. e. praeter spem et opinionem vivere. iv. lib. XL. sect. 8. [ubi cf. Rupert. FR.] *Cui, cum pater, atin' salvae? et quaenam ea moestitia esset? interrogaret, um: De lucro tibi, pater, inquit, vivere me scito; iam non cultis a fratre petimur insidiis.*

ACT. V. SC. 2. [4.]

Vs. 1. Bene subducta ratione ad vitam esse elentissime dicitur saepe pro, putasse et meditatum habere, iomodo vivendum sit, quid ad vitam commode agendam ciendum aut omittendum sit. Translatio deducta est a tionibus pecuniariis. Proprie enim *subducere rationes* est omputare ex plusculis minoribus summis unam grandem immam et videre, quid sit expensi, quid accepti, quid liqui. Plaut. Curc. III. 1. 1. *Subduxi ratiunculam, quanım aeris mihi sit quantumque alieni siet.* Capt. I. 2. 83. 9.] *Ibo intro, atque intus subducam ratiunculam, quanllum argenti mihi apud trapezitam siet.* Cic. ad Att. lib. . ep. ult. *Homo clamare. Quid opus est, inquam; rationes onferatis. Assidunt, subducunt, ad nummum convenit.* Hinc eganter transfertur, ut apud Cic. fam. lib. I. ep. 9. *Hic go, quantum humano consilio efficere potui, circumspectis bus omnibus, rationibus subductis, summam feci cogitatioım mearum omnium: quam tibi, si potero, breviter exponam.* 139

Vs. 6. Vitam duram mittere prope iam decurso oatio. Translatio elegans a stadio, in quo cursores exerbantur et certabant, desumpta, qua amant hac in re uti eteres. *Spatium* enim proprie stadii, et putant eruditi sum vocabulum Latinum ex Graeco originem trahere. laut. Merc. III. 2. 4. *Certum est, antiqua recolam, et serbo mihi, decurso iam spatio, breve quod vitae reliquum it.* Stich. I. 2. 14. *Quid mihi opus est, decurso aetatis oatio cum eis gerere bellum?*

Vs. 24. Facere benigne, liberalem seu munificum praestare. Plaut. Capt. V. I. 29. *Gratis a me, ut sit ber, abducito.* Phil. *Aedepol, Hegio, facis benigne.* Cic. e off. lib. II. cap. 15. [§. 53.] *Qui opera, id est, virtute industria benefici et liberales erunt, primum, quo pluri- ıs profuerint, eo plures ad benigne faciendum adiutores abebunt.* 140

Vs. 26. **Ferre posteriores** dicitur per intellectum vo *partes* pro eo quod est, secundo in loco atque pretio esse; cui contrarium Eun. I. 2. 71. *Sine illum priores partes hosce aliquot dies apud me habere.* Translatio est desumpta a personis comicis, in quibus aliae erant primarum, aliae secundarum et deinceps partium. Sed ipsum verbum *ferre* hac in re etiam usurpatur a Plauto Mercat. II. 2. 5. ubi senex somnium suum interpretatur: *Quasi hircum, metuo, ne uxor me castret mea, atque illius haec nunc simiae partes ferat.* h. e. agat, quasi simiam illam agentem per quietem vidi.

ACT. V. SC. 4. [6.]

Vs. 3. **Qui vocare?** hoc est, quod tibi nomen est. Sic M. Seneca suasoria septima: *Marco Tullio et natura memoriam dempserat, et ebrietas, si quid ex ea superesset, subducebat: subinde interrogabat, qui ille vocaretur, qui in imo recumberet.* Sic de rebus etiam solent loqui, pronomine tamen in genere neutro posito. Sic Senec. ep. 95. *Aestimemus singula fama remota, et quaeramus quid sint,*
141 *non quid vocentur.* i. e. quo nomine appellentur. Idem ep. 111. *Quid vocentur Latine sophismata, quaesisti a me.*

Vs. 5. **Satis spectatus** pro approbato, probatae bonitatis. Sic superius Andr. I. 1. 65. *Enimvero spectatum satis putabam, magnum exemplum continentiae.* ead. V. 1. 1. *Satis iam, satis, Simo, spectata erga te amicitia est mea.* Plaut. Merc. II. 2. 47. *Nihil est iam, quod tu mihi succenseas: fecere tale ante alii spectati viri.* Cic. de off. lib. II. [cap. 11. §. 38.] *Maximeque admirantur eum, qui pecunia non movetur, quod in quo viro perspectum sit, hunc igni spectatum arbitrantur.* ubi translatio est desumpta a metallis, inprimis auro et argento, quae igni probantur. Horat. lib. I. ep. 1. vs. 2.

Spectatum satis, et donatum iam rude, quaeris,
Maecenas, iterum antiquo me includere ludo.

ubi translatio a gladiatoribus desumpta; nam et hi dum spectantur, virtus illorum cognoscitur. Eorum enim ludus est, ubi exercentur et instruuntur: hi *rudem accipere* dicebantur, cum ab arena mittebantur et liberabantur. [Vid. Ruhnk. ad Andr. I. 1. 64. FR.]

Vs. 9. **Bonus es, cum haec existimas.** Multis locis veteres utuntur particula *cum*, ubi nunc vulgo usur-
142 pamus *quod* vel *quia*. Sic scena sequenti vs. 20. *Dii bene faciunt, cum te video nostrae familiae tam ex animo factum velle.* Heaut. IV. 7. 2. [IV. 8. 2.] *Nunc me fortunatissimum factum puto esse, gnate, cum te intelligo resipisse.* eadem

V. 3. 2. *Idque adeo miror, cum* [leg. *quomodo*] *tam ineptum quicquam potuerit tibi in mentem venire.* Plaut. Menaech. V. 7. 42. *Cum tu liber es, Messenio, gaudeo.* Rud. IV. 4. 132. *Volupe 'st, cum istuc ex pietate vestra vobis contigit.* et vs. 134. *Ecce Gripi scelera! cum istaec res male evenit tibi, Gripe, gratulor.* et vs. 139. *Cum te Dii amant, voluptati est mihi.* Trucul. II. 6. 35. *Cum tu recte provenisti, cumque es aucta liberis, gratulor.* [Cf. Ruhnk. ad Andr. III. 2. 8. FR.]

ACT. V. SC. 5. [7.]

Vs. 7. Cantare Hymenaeum, dicere carmen nuptiale. Sic Plaut. Cas. IV. 3. 11. *Hymen Hymenaee! Io Hymen!* Stal. *Perii hercle! ego miser, dirupi cantando Hymenaeum.* Sen. Med. vs. 116. *Occidimus: aures pepulit Hymenaeus meas.* *Hymenaeum* dicebant esse Deum praesidem nuptiarum. Itaque eum carmine invocabant et invitabant, ut volens propitius his nuptiis adesset: hoc proprie erat *dicere et cantare Hymenaeum.* Catullus in carmine nuptiali [LX. vel LXII. vs. 4.]

Iam veniet virgo, iam dicetur Hymenaeus.
Hymen, o Hymenaee, Hymen ades, o Hymenaee.

[Nihil hic adnotavit Ruhnk. FR.]

Vs. 21. Velle alicui factum, hoc est, facere alicui, omnia bona optare. Phrasin hanc ex Ter. saepe imitatus est Symmachus lib. I. ep. 27. *Sum vero praesentium laetus, ut qui sciam, insidiatori meo nihil loci relictum, atque insuper tibi, cui semper factum volo, merita polliceri fortunam.* ep. 66. *Gelasius, cui factum volo, imperialis domus curam recepit.* ep. 77. *Nunc quia in te huius negotii spes recumbit, quaeso, ut ei virtute, qua celsus es, factum velis.* lib. IX. ep. 60. *Nunc optimo viro Petrucio factum volo, quem scio hanc epistolam non tam sui commendatione quam mei officii gratia postulasse.* 143

ACT. V. SC. 6. [8.]

Vs. 14. Dare veniam interdum significat eleganter, facere aliquid rogatum de sententia alterius, exorari, facere, quod alius rogat; ita ut *da mihi veniam* dicatur eodem sensu quo, fac quaeso, quod te rogo. Ita accipitur hic a Terentio, ita apud Cic. ad Quintum fratr. lib. III. ep. 1. [§. 4.] *In epistola tua primum est de Clodii ad Caesarem litteris, in quo Caesaris consilium probo, quod tibi amantissime petenti veniam non dedit, uti ullum ad illam furiam verbum rescriberet.* Semper rogaverat Q. Cic. Cae-

sarem; ut rescriberet Clodio, Caesar autem non est passus se exorari, hoc est, Q. Ciceroni veniam non dedit.

144 Vs. 27. Dare alicui agrum, qui fruatur, hoc est, dare, sive gratis concedere fruendum, id est, ut annuos inde fructus ac reditus percipias, ita tamen ut ager meus maneat: usu fructuarium, ut loquuntur Iurisconsulti, constituere. *Qui* est ablativus, ut Heaut. IV. 4. 30. [IV. 5. 38.] *Argentum dabitur, qui aurum et vestem comparet.* Frui autem sic accipitur, ut in crebra illa phrasi apud veteres, *locare fruendum.* Festus: *Lacus Lucrinus in vectigalibus publicis primus locatur fruendus.* h. e. sub certa pensione annua solvenda aerario permittitur alicui municipi vel publicano ad fructus colligendos. Liv. lib. XXVII. cap. 3. *Simul ut cum agro tecta urbis fruenda locarentur.* lib. XXXII [cap. 7. init.] *Censores portoria venalium Capuae Puteolisque, item castrorum portorium, quo in loco nunc oppidum est, fruendum locarunt.* Sic *agro frui* pro *eum a publico conductum habere* dicit Cic. de prov. consul. sect. 5. [§. 12.] *An si qui frui publico non potuit per hostem, hic tegitur ipsa lege censoria: quem is frui non sinit, qui est, etiamsi non appellatur, hostis, huic ferri auxilium non oportet.* *Frui publico* dicitur proprie publicanus, qui aliquod publicum vectigal conduxit: sed frui publico per hostem non potest, quem hostis e publico vectigali ab se conducto fructus et reditus colligere non sinit. Cic. de leg. agr. sect. 33. [orat. II. cap. 13. §. 33.] *De vestris vectigalibus non fruendis sed alienandis.* hoc est, non locandis sed vendendis. Liv. lib. XLII. cap. 19. *Tribunus plebis promulgavit, ut*
145 *agrum Campanum censores fruendum locarent.*

Vs. 35. [act. V, sc. 9. vs. 1.] Suo sibi gladio aliquem iugulare, invertere contra aliquem, quem is maxime sibi praesidio esse putabat: ostendere, aliquid esse damnosum quod quis pro utili amabat. Tale est eleganter dictum apud M. Senec. controvers. 24. *Cum sit praecipua in Thucydide virtus brevitatis: hac eum Salustius vicit et in suis castris cecidit.* Significat Salustium eandem sententiam brevius et acutius dixisse, quam Thucydidem summum rotundae brevitatis artificem. Castra autem nostra videntur nobis defensioni esse, perinde ut gladius noster.

ACT. V. SC. 7. [9.]

Vs. 1. Factum est quod iussisti. Formula propria militaris, qua centuriones ac tribuni fere utebantur renuntiantes imperatori, se executos, quod praeceptum erat. Sic Suet. Tib. cap. 22. *Tiberius renuntianti tribuno, factum*

esse, *quod imperasset, neque imperasse se et redditurum eum senatui rationem respondit, invidiam in praesentia vitabat.* Claudio cap. 19. [cap. 29.] *De nece consularis viri renuntiante centurione, factum esse, quod imperasset.* Tac. Ann. lib. I. cap. 6.] *Nuntianti centurioni, ut mos militiae, factum esse, quod imperasset.*

Vs. 8. Apparare de die convivium, hoc est, multo adhuc die, *de solido die*, ut Horatius loquitur, ante vesperam sive horam coenae. Romani ante horam diei nonam (etenim diem tam hieme quam aestate in duodecim horas, sed hieme breviores, aestate longiores partiebantur) non coenabant, saltem honestiores et in rebus agendis occupati. Mart. lib. IV. ep. 8. 146

Imperat exstructos frangere nona toros.

Nam tori, h. e. lecti conviviales franguntur, cum convivae accumbunt et pulvinos deprimunt. Si quis citius accumberet, eum *de die coenare* dicebant, idque vitio vertebatur. Liv. lib. XXIII. cap. 8. de convivio Campano, quo primum receptus Hannibal: *Coeperunt epulari de die, et convivium non ex more Punico aut militari disciplina esse, sed ut in civitate atque etiam domo luxuriosa, omnibus voluptatum illecebris instructum.* Sic eleganter Cic. Philipp. II. *Antonium* ait *non solum de die, sed etiam in diem vivere.* [cap. 34. §. 87.] Nempe *de die vivere* est ante horam coenae genio indulgere, *in diem vivere* est hominis dissoluti et negligentis. Curt. lib. V. [cap. 7.] de Alexandro iam a fortuna corrupto: *De die inibat convivia, quibus feminae intererant.* Sic et eleganter auctor de bello Hispaniensi, qui Caesari addi solet [cap. 33.] *Ipse de tempore coenavit, vinum et nardum identidem sibi infundit.* Nam eadem convivia *tempestiva* dicebant. [vid. Gernhard. ad Cic. Cat. mai. §. 46. FR.] Cic. pro Archia [cap. 6. §. 13.] *Quantum alii tribuunt tempestivis conviviis, quantum denique aleae, quantum pilae.* in Verr. lib. III. sect. 25. [§. 62.] *Statuitur Lollius in illo tempestivo gladiatorum convivio.* ad Att. lib. IX. ep. 13. *Viris bonis* (i. e. Pompeianis, qui se volebant dici bonarum partium ad invidiam Caesaris) *me non nimis excuso. Quas enim eos coenas et facere et obire scripsit ad me Sextus? quam lautas? quam tempestivas?* [Cf. Ruhnk. ad V. 3. 55. Schmidius ad Horat. ep. I. 2. 32. et Matthiae adn. ad Cic. pro Sextio §. 75. et pro Mur. §. 22. ubi haec adscripsit: „*De* cum nominibus temporis significat, illud tempus non plane effluxisse.“ FR.] 147

Vs. 24. Dare alicui, unde utatur, hoc est, quo vivat, unde se sustentet, unde sumptum faciat. Sic Plaut. Trin. II. 2. 74. *Deum virtute habemus et qui nosmet utamur, pater, et aliis qui comitati simus benevolentibus.* ad Att.

lib. XI. ep. 11. *Hoc ipsum iam prope consumtum est; qua id quoque velim cum illa videas, ut sit, qui utamur: h fortasse potero sumere, si sciam isthic paratum fore.* H dicit, *qui utamur*, plane eodem sensu, quo superius ann tatum est, *quid sit in sumptum* [pag. 127.] ad Att. lib. XII ep. 23. *Omni tibi asseveratione affirmo, mihi maiori offe sioni esse quam delectationi possessiunculas meas. Mag enim doleo, me non habere, cui tradam, quam habere, q utar.* lib. IV. ep. 11. *Quod vero curae tibi est, ut ei supp ditetur ad usum et cultum copiose, per mihi gratum est, i que ut facias, te etiam rogo.* [Cf. Ochner. ad Cicero Eclog. pag. 196. ed. 3. FR.]

IO. FRED. GRONOVII
NOTAE
IN
TERENTII HECYRAM

PROLOG. I. 148

Vs. 2. **Novum intervenit vitium et calamitas**, hoc est, novo et inaudito casu res impedita irritaque est reddita. Coniungit duo vocabula, quorum alterum petitum est ex augurali disciplina, alterum ex re rustica. Obscoena tempestas, quae frangit ac deiicit sata et frustratur laborem agricolarum, proprie rusticis dicitur *calamitas*, de quo superius [pag. 37.] Par malum auguribus et servantibus de coelo eadem tempestas, eaque comitia dirimit et dicitur *vitium*, de quo ad Plautum. [Vid. Lect. Plaut. pag. 109. FR.] Pulchre de hoc loco Donatus: „Bene secundum augures: *vitium* enim est, si tonet tantum, *vitium et calamitas*, si tonet et grandinet simul aut etiam fulminet. Translatio est ab auguriis et *vitio creati* dicuntur *augures* [leg. *consules*.]"

PROLOG. II.

Vs. 7. **Partim eorum.** Sic eleganter dicunt veteres pro *quidam eorum*. Cato apud Gellium lib. X. cap. 13. *Ibi pro scorto fuit: in cubiculum surreptitavit e convivio, cum* 149
partim illorum iam saepe ad eundem modum erat. h. e. cum quibusdam illorum. Cic. in orat. de prov. consular. sect. 10. *Partim mihi illorum familiares, partim etiam, me defendente, capitis iudiciis essent liberati.* Sallust. [Iug. cap. 38.] *Partim, uti transfugerent, corrumpere; alii signo dato locum uti desererent.* Idem [Iug. cap. 83.] *Ille probare partim, alia abnuere.* i. e. probabat quosdam. Apuleius in Apologia: *Nam ut audio e partim Ocensium, qui istum novere, nulli Deo ad hoc aevi supplicavit.*

Stare dicuntur actores vel fabulae, cum placent, si cum favore et plausu spectentur, si non exigantur. [Cf.

Heindorf. ad Horat. Sat. I. 10. 17. FR.] Sic prolog. Phorm. vs. 8. *Cum stetit olim nova* (fabula), *actoris opera magis stetisse quam sua.* Tale est illud Cic. ad fam. lib. I. ep. 4. *Ante diem XVI. Kal. Febr. cum in Senatu pulcherrime stetimus.* hoc est, cum videbamur causam nostram obtinere. [Aliter de hoc loco iudicant Ruhnken. et Ernest. cuius vide Clav. Cic. in v. *stare.* FR.] Sic in contrarium *concidere* pro *non stare, non tueri locum.* Cic. ad Att. lib. I. ep. 16. *Magnis clamoribus afflictus conticuit et concidit.*

Vs. 41. Statuere pretium arti suae avare. Docere magno, poscere ingens didactrum. Utitur eadem phrasi Heaut. prolog. vs. 48. *Si nunquam avare pretium statui arti meae.*

150 Vs. 47. Accipere causam proprie est patronorum sive causidicorum, qui aliquem defendendum suscipiunt. Sic Cic. post red. ad Quir. sect. 5. [§. 11.] *Quod alter mihi affinis erat, alterius causam capitis receperam.* Ergo *causam hanc accipite* est, velitis nobis patrocinari.

ACT. I. SC. 1.

Vs. 9. Neminem eximium habere, hoc est, omnes eodem modo tractare, nulli parcere. Vocabulum *eximium* proprium est in re sacra. Festus: *Eximium inde dici coeptum, quod in sacrificiis optimum pecus e grege eximebatur.* sic ut et Donatus hoc loco: „*Eximia* pecora dicuntur, quae e grege excepta sunt ad usus dominorum suorum, ut uberius pascantur. Sed proprie *eximii* sunt porci maiores, qui ad sacrificandum excepti liberius pascuntur. Etenim et boves, qui ad hoc electi sunt, egregii dicuntur et oves lectae. Virg. Aen. IV. vs. 57.

Mactant lectas de more bidentes.

Ita et *porci eximii.*" Hic ad alia transfertur: sed plane ut Ter., Cic. divin. in Q. Caecilium sect. 16. [§. 52.] *Neque enim esset verisimile, cum omnibus Siculis faceret iniurias, te illi unum eximium, cui consuleret, fuisse.* h. e. tibi uni pepercisse, in te aliud quam in reliquos omnes statuisse.

151 Vs. 16. Captare, insidiari, insidias struere. Sic apud Plautum Poen. V. 2. 73. *Te oportet esse hominem sycophantam et subdolum, qui huc advenisti nos captatum.* Sic etiam *captatio* in disciplina gladiatoria est idem quod petitio, cum alter alteri insidiatur ad ictum inferendum. Quintil. Inst. lib. V. cap. 13. [§. 54.] *Ut gladiatorum manus, quae secundae vocantur, fiunt et tertiae, si prima ad evocandum adversarii ictum prolata erat; et quartae, si geminata captatio est, ut bis cavere, bis repetere oportuerit.* Inprimis autem *captare* dicebantur, qui colebant donis et observantia divites senes atque orbos, ut in testamentis illorum par-

bona invenirent, et aut heredes scriberentur, aut legata acciperent. [Hinc vocabantur *captatores*. Cf. Heindorf. ad Horat. Sat. II. 5. 23. FR.] Petron. Arbiter in Satyr. [cap. 116.] *Quoscunque homines in hac urbe videritis, scitote in duas partes esse divisos. Nam aut captantur, aut captant. In hac urbe nemo liberos tollit, quia quisquis suos heredes habet, nec ad coenas nec ad spectacula admittitur; sed omnibus prohibetur commodis et inter ignominiosos latitat. Qui vero nec uxores unquam duxerunt, nec proximas necessitudines habent, ad summos honores perveniunt.* Sic Plin. lib. IV. ep. 2. *Regulus filium emancipavit, ut heres matris existeret: emancipatum foeda et insolita parentibus indulgentiae simulatione captabat.* lib. VIII. ep. 18. *Domitius Tullus longe melior apparuerit morte quam vita. Nam cum se captandum praebuisset, reliquit filiam heredem.* [Nulla hic adnotatio reperitur Ruhnkenii. FR.]

ACT. I. SC. 2. 152

Vs. 4. Nullus dixeris. Sic saepe amabant veteres loqui pro *non dixeris*. Ita Eun. II. 1. 10. *Memini, tametsi nullus moneas.* Plaut. Asin. II. 4. 2. *Libanum in tonstrinam ut iusseram venire, is nullus venit.* et saepe. Sic Cic. ad Att. lib. XI. ep. 24. *Philotimus non modo nullus venit, sed ne per litteras quidem aut per nuncium certiorem facit me, quid egerit.* identidem ad Att. *Sextus ab armis nullus discedit.* [Integer locus est lib. XV. ep. 22. *Ego autem scripsi Sextum adventare, non quo idm adesset, sed quia certe id ageret ab armisque nullus discederet.* Caeterum cf. Ruhnk. ad Andr. II. 2. 33. ad Plaut. Trin. Goeller. pag. 92. Lindemann. pag. 242. FR.]

Vs. 34. Caput suum committere in fidem alterius eleganter interdum est dicere alicui vel credere, vel conscium facere aliquem rei, quam is si perdat, in periculo est ille, qui dixerit. Ita hic accipit Terentius. Alias *committere caput alicui* est venire in potestatem alicuius. Sic auctor lib. octavi de bell. Gall. cap. 23. *Imperata faciunt, excepto Commio, quem timor cohibebat, cuiusquam fidei suam committere salutem.* Plaut. Truc. IV. 4. 16. *Cogitato, mus pusillus quam sit sapiens bestia, aetatem qui uni cubili nunquam committit suam, quia si unum ostium obsideatur, aliud perfugium gerit.* [Ruhnk. pro v. *caput* legens *tergum*, id ipsum similiter interpretatur. FR.]

Vs. 39. Istbic sum. Formula qua quis admonitus respondet se frustra moneri, se hanc rem agere, se in ea 153
esse. Sic Heaut. V. 2. 30. *Insides in ea tanta, neque me quicquam consilio adiuvas? Immo et ibi nunc sum.* Sic in ibi esse dicebatur, quod ibi tractabatur et perficiebatur,

etsi perfectum nondum esset. Caecilius: *Liberne es? Non sum; verum inibi est.* Pacuvius fragm. vs. 131. *Profecto aut inibi est, iam iam potiuntur frugum.* Afranius fragm. vs. 144. *Postquam se videt inibi esse, gratam parvulam sororibus commendat.* Cic. Phil. XIV. [cap. 2. §. 5. ubi cf. Ferrar.] *Quod sperare nos quidem debemus, Patres conscripti, aut inibi esse aut iam esse confectum.* h. e. nunc ipsum, hoc ipso momento confici.

Vs. 46. Incertus animi. Sic Liv. de Hercule lib. I. cap. 7. *Quae ubi omnia foras versa vidit, nec in partem aliam ferre, confusus atque incertus animi ex loco infesto agere porro armentum occepit.* Val. Flaccus lib. I. vs. 71.

Tandem animi incertum confusaque pectora firmat
Religio.

[Nihil ad h. l. dedit Ruhnk. quem cf. ad Heaut. IV. 4. 5. FR.]

Vs. 69. Seducere aliquem eleganter est ducere aliquem in secretum, ut solus cum solo colloquare. Sic Plaut. Aul. II. 1. 14. *Eo nunc ego secreto te huc foras seduxi, ut tuam rem ego tecum hic loquerer familiarem.* Cic. ad fam. I. ep. 9. *Quoniam quidam nobiles homines inimicum
154 meum me inspectante saepe in senatu modo severe seducerent, modo familiariter atque hilare amplexarentur.* ad Att. lib. V. ep. ult. *Cum haec disseruissem, seducit me Scaptius: ait se nihil contradicere* etc. mox: *Scaptius me rursus seducit; rogat ut rem sic relinquam.*

Vs. 73. Decrerim. Notanda haec vox et propter syncopen et propter sensum. Est enim ex iis, quae veteres etiam propter necessitatem curta seu contracta efferre quam integra malebant. Sic *decrerim, decrero, decresse* passim apud Ciceronem quoque et Livium. Legas libro III. ad Att. ep. 15. *In me ipso satis esse consilii decreras.* lib. IV. ep. 2. *Cum pontifices decressent ita.* lib. VI. ep. 6. *Decreram enim cum eo valde familiariter vivere.* et testatur Petrus Victorius fere semper in bonis libris ita inveniri scriptum hoc verbum. Liv. lib. III. cap. 47. *Id quod constat nudum videtur proponendum, decresse vindicias secundum servitutem.* Ter. infra II. 1. 15. *Qui illum decrerunt dignum, suos cui liberos committerent.* In sensu autem notandum; *decrevi* eleganter poni pro *certum habeo, omnino existimo.* ut supra Heaut. I. 1. 95. *Decrevi tantisper, me minus iniuriae, Chreme, meo gnato facere.* h. e. ita mihi persuadeo, ita credo: et eadem fab. V. 1. 67. *Duo talenta pro re nostra ego esse decrevi satis.* Cic. Tusc. Quaest. lib. II. sect. 6. [§. 16.] *Quam porro quis ignominiam, quam tur-
155 pitudinem non pertulerit, ut effugiat dolorem, si id summum malum esse decreverit.* et fam. lib. II. ep. 6. *Quanti sit mihi honos eius, in quo omnia mea esse posita decrevi.*

ACT. II. SC. 1.

Vs. 6. **In eodem ludo ad malitiam edoctus, qui alteri improbitate nihil concedit.** Translatio a ludo, sive litterario sive gladiatorio, (uterque enim locus hoc communi nomine appellatur,) et varie alludunt veteres. Sic Horat. lib. I. ep. 1.

Prima dicte mihi, summa dicende Camoena,
Spectatum satis et donatum iam rude quaeris,
Maecenas, iterum antiquo me includere ludo.

h. e. iubes me retractare, quae dudum desii. Quintilian. lib. VI. cap. 3. [§. 51.] *Cicero Pletorii matrem dixit, dum vixisset, ludum; postquam mortua esset, magistros habuisse.* Dicebantur autem, dum vixit, infames feminae ad eam convenire solitae: post mortem eius bona venibant. Acumen huius ioci in eo est, quod *ludum habere* dicuntur magistri scholarum, et quorum bona, quia non sunt solvendo, sub hasta venduntur, illi accipiunt *magistros auctionum*, qui scilicet inventarium bonorum conficiunt et auctioni praesunt. Quoniam igitur ad hanc feminam vivam infames aliae convenire dicebantur, ut pueri conveniunt ad ludi magistrum, propterea dicitur *ludum habuisse:* quoniam vero post mortem eius bona per creditores sunt divendita, et 156
iis bonis vendendis magistri sunt constituti, propterea post mortem dicebatur *habuisse magistros.* Cic. pro Quint. sect. 15. [§. 50.] *Ergo, hercle, cuius bona ex edicto possidentur, huius omnis fama et existimatio cum bonis simul possidetur: de quo libelli in celeberrimis locis proponuntur, cui magistri fiunt et domini constituuntur, qui qua lege et qua conditione pereat, pronuntient, de quo homine praeconis vox praedicat et pretium conficit. Ludus nequitiae* apud Petron. in versibus Publii Syri.

ACT. II. SC. 2.

Vs. 8. **Esse in alicuius potestate.** Sic eleganter dicunt veteres pro *facere quidquid alter velit, nullo in loco ei adversari.* Sic Cic. ad fam. lib. V. ep. 4. *Quod si mihi tua clementia opem tuleris, omnibus in rebus me fore in tua potestate tibi confirmo.* ad Att. lib. III. ep. 22. *Lentulus spem nobis nonnullam affert Pompeii voluntatis; saepe enim tu ad me scripsisti, eum totum esse in illius potestate.* Philipp. VI. sect. 4. *Non metuo, Quirites, ne, quum audierit Antonius me hoc in Senatu et in concione confirmasse, nunquam illum futurum in Senatus potestate, refellendi mei caussa, ut ego nihil vidisse videar, vertat se, Senatui pareat.* h. e. nunquam facturum id, quod Senatus velit. Liv. lib. XL. cap. 46. *Tamen ambo significare, si alter vellet,*

se in potestate tot principum civitatis futuros. i. e. facturos, quod tot principes civitatis desiderarent.

157 Vs. 18. **Magnificare.** Vetustissimi, non ut vulgus et vulgatus Bibliorum interpres pro *laudare*, sed simpliciter pro *facere magni*, *aestimare magni* dicebant. Sic et Plaut. Pseud. IV. 1. 34. *Ut ego ob tuam, Simia, perfidiam te amo et metuo et magnifico.* Plin. lib. XVII. cap. 9. *M. Varro principatum dat turdorum fimo ex aviariis, quin etiam pabulo boum suumque magnificat, neque alio cibo celerius pinguescere asseverat.* Utitur et alibi Plinius.

ACT. II. SC. 3.

Vs. 7. **Exspectare aliquem multis modis**, hoc est, valde, vehementer, aut etiam multis de causis. Frequens et Plaut. Bacch. III. 2. 1. *Meditatus multis modis egomet mecum sum, et ita esse arbitror: homini amico nihil praestare.* Mil. Glor. IV. 4. 53. *Multis modis sapis.* Cic. de fin. lib. II. [cap. 26. §. 82.] *Hoc etsi multis modis reprehendi potest, tamen accipio, quod dat.* [Haec silentio praetermisit Ruhnk. cf. Huschk. ad Tibull. I. 8. 64. FR.]

ACT. III. SC. 1.

Vs. 1. et 6. **Offerre et abiicere laborem.** Sic *offerre iniuriam* infra V. 1. 13. *Inscitum offerre iniuriam tibi immerenti iniquum est.* Sic *oblatum vitium virgini* III. 3. 23. *Nam vitium est oblatum virgini ab nescio quo improbo.* *Offerre laetitiam* V. 3. 18. *Quantam obtuli adventu meo lae-*
158 *titiam Pamphilo.* *Obiicere aerumnam* Plaut. Epid. II. 1. 10. *Neque sexta aerumna acerbior Herculi, quam illa mihi obiecta est.* Amphit. II. 1. 58. *Huic homini nescio quid est mali mala obiectum manu.* Intelligit incantatum esse magicis venenis: erat enim genus incantationis, quo tactu laedere homines credebantur.

Vs. 26. **Exsequi veram rationem**, hoc est, pervestigare, inquirere veram rationem. Sic eleganter Liv. lib. III. cap. 5. *Interfecta inde quatuor millia, et exequendo numerum subtiliter ducentos ait et triginta.* Hic idem saepe coniungit, *exsequi quaerendo*, *exsequi sciscitando*: lib. III. cap. 20. *Tum tribuni eludentes velut vana dicta exsequi quaerendo, quonam modo exercitum educturi consules essent.* lib. VI. cap. 14. *Itaque exsequebantur quaerendo, ubi tantae rei furtum occultaretur.* lib. XXV. cap. 29. *Sedato tandem tumultu exsequentibus sciscitando mercenariis, quae acta cum Romanis essent.*

Vs. 32. **Levi sententia esse**, hoc est, sensum sive consilium non admodum habere magnum, animum habere

infirmum. Hac ipsa phrasi Hieronymus ad Demetriadem: *Sed si in viris periculosa est, quanto magis in feminis, quarum mutabilis fluctuansque sententia, si suo arbitrio relinquatur, cito ad deteriora delabitur.* Sic Plautus in sententiis positum dicit eum, qui creditur magni consilii esse. 159
Epid. III. 4. 80. *Quid nunc? qui in tantis positus sum sententiis, eumne ego sinam impune?* Et sententia pro animo seu cogitatione in Mostell. I. 3. 15. *Et lepide res omnes tenet sententiasque amantum.* Mil. glor. II. 1. 51. *Ego quoniam inspexi mulieris sententiam, cepi tabellas.*

Vs. 35. Trepidare est interdum tumultuari, laborare, motum ac tumultum facere. Sic Sall. Iug. [cap. 67.] *Romani milites incerti ignarique, quid potissimum facerent, trepidare ad arcem oppidi, ubi signa et scuta erant.* Liv. lib. X. cap. 20. *Intermisti hostibus (quod facile erat in nocturna trepidatione) cognoscunt infrequentia armatis signa egressa.* Idem lib. XXIII. cap. 16. *Dum in sua quisque ministeria discursu trepidat ad prima signa, succeditque ad muros acies.* lib. XXI. [lib. XXVII. cap. 28.] *Vigiles ad vocem eorum excitati tumultuari, trepidare, moliri portam.*

Vs. 54. Ferre aliquid mali capiti atque aetati alicuius, pro vita ac salute alicuius; et imprimis solent ita loqui veteres in imprecando. Virg. Aen. VIII. vs. 484.

Di capiti ipsius generique reservent.

Cic. fam. lib. VIII. ep. 1. *Te subrostrani (quod illorum capiti sit) dissiparant periisse.* ad Att. lib. VIII. ep. 5. *Nam* 160
quod ad te non scripseram, postea audivi a tertio milliario — multa, inquam, mala eum dixisse, suo capiti, ut aiunt. h. e. cum sibi ipsi multa esset imprecatus.

ACT. III. SC. 2.

Vs. 2. Morbus adgravescit. Sic Cic. Catil. orat. I. sect. 13. [§. 31.] *Ut saepe homines aegri morbo gravi, cum aestu febrique iactantur, si aquam gelidam biberint, primo relevari videntur, deinde multo gravius vehementiusque afflictantur; si hic morbus, qui est in republica, relevatus istius poena, vehementius vivis reliquis ingravescet.* ad Att. lib. X. ep. 4. *Alter ardet furore et scelere, nec remittit aliquid, sed in dies ingravescit.*

Vs. 4. Visere ad aliquem notandum propterea, quoniam vulgarius omittitur praepositio. Et ita quoque Plaut. Capt. IV. 2. 114. *Vise ad portum.* Epid. II. 2. 119. *Ego visam ad forum.* Bacch. III. 5. 4. *Ibo et visam huc ad eum, si forte est domi.* Mil. II. 6. 40. *Vise ad me intro.* [Cf. Goeller. ad Plaut. Trin. pag. 108. Ruhnk. nihil h. l. adnotavit. FR.]

ACT. III. SC. 3.

Vs. 8. **Accipere auribus.** Sic Cornel. Nep. in vit. Timothei [Timol. II. 2.] *Postremo, ut non solum auribus*
161 *acciperetur, sed etiam oculis cerneretur, quem et ex quo regno ad quam fortunam detrusisset.* Sen. suasoria lib. I. [Suas. II.] *Virgilius de navibus: Credas innare revulsas Cycladas: non dicit hoc fieri, sed videri: propitiis auribus accipitur, quamvis incredibile est, quod excusatur antequam dicitur.* Quint. Declam. III. 3. 7. *Intelligo aversis auribus accipi hanc partem orationis.* [Cf. Ruhnk. ad Eun. IV. 4. 10. FR.]

Vs. 18. **Accidere ad genua.** Sic Seneca Troadibus vs. 690. [694.]

Ad genua accido
Supplex, Ulysse, quamque nullius pedes
Novere dextram, pedibus admoveo tuis.

Sic et Suet. in Iul. et Claud. [in vita Caes. cap. 20. *L. Lucullo tantum calumniarum metum iniecit, ut ad genua ultro sibi accideret.* Claud. cap. 10. *Miles Claudium agnovit extractumque et prae metu ad genua sibi accidentem Imperatorem salutavit.*] Tacitus dixit *genibus accidens* lib. V. Historiarum. Cic. *ad pedes se subiicere* ad Att. lib. VIII. ep. 9. [ubi Orellius legit *abiicere* §. 1.] Caesar *ad pedes procumbere* et *proiicere se ad pedes* de bello Gall. lib. VII [cf. cap. 15. *Procumbunt omnibus Gallis ad pedes Bituriges.*] Livius *ad pedes provolvere* lib. VI. [cap. 3. ubi haec: *Camillo quum se moesta turba ad pedes provolvisset.*] et *procumbere ad genua* lib. VIII. [cap. 35. *Iam ipse adolescens, iam pater M. Fabius procumbere ad genua.*] et *ad pedes procidere* lib. XXXIX. Denique infra *provolvi genibus.* [Tacit. Ann. XII. 18.]

Vs. 21. **Habere orationem instituit**, hoc est, incepit. Sic Liv. lib. VIII. [cap. 35.] *Tribuni quoque inclinatam rem in preces subsecuti, orare dictatorem insistunt, ut veniam errori humano, veniam adolescentiae Q. Fabii daret.*
162 Idem lib. XXIV. cap. 26. *Aversis auribus animisque, omissis pro se precibus, puellis ut saltem parcerent, orare instituit.* lib. XXVII. cap. 47. [cap. 46. extr.] *Nero non suadere modo, sed summa ope orare instituit, ne consilium suum, quod tutum celeritas fecisset, temerarium morando facerent.*

Vs. 30. **Dare gratiam**, hoc est, dare beneficium: ita enim vocabulum *gratia* interdum accipitur. Sic apud Plaut. Sticho I. 2. 23. *Gratiam a patre si petimus, spero ab eo impetrassere.* ubi itidem est beneficium vel venia. Sic etiam Capt. III. 5. 63. *Quid? tu postulasti, ut melius consulerem tibi, quam illi, quicum una a puero aetatem exegeram?* Heg. *Ergo ab eo petito gratiam istam.*

ACT. III. SC. 4.

Vs. 21. **Rumpere aliquem ambulando.** Sic Martial. lib. XII. ep. 14. [vs. 12.] ubi monet Priscum, uti parcius incitet equum, quo in venando utebatur:

Quid te frena iuvant temeraria? Saepius illis
Prisce datum est equitem rumpere quam leporem.

Sic apud eundem *rupta mula* lib. IX. ep. 58. [vs. 4.]

Non ruptae recutita colla mulae.

Lib. XXVII. §. 17. ff. ad legem Aquiliam: *Rupisse eum utique accipiemus, qui vulneraverit, vel virgis vel loris vel pugnis ceciderit, vel telo, ut scinderet alicui corpus, vel tumorem fecerit.* hoc ideo, quia in ipsa lege Aquilia men- 163
tio erat facta ruptionis hoc modo: *Ceterarum rerum, praeter hominem et pecudem occisos, si quis alteri damnum faxit, quod usserit, fregerit, ruperit, iniuria.* Liv. lib. XXII. cap. 10. *Si quis rumpet occidetve insciens, ne fraus esto.* loquitur autem de animalibus devotis vere sacro. Sic et apud Horat. Satyr. II. vs. 118. [lib. I.] *rumpi tentigine;* quod posterioris aevi scriptores dixerunt *crepare:*

Ancilla, aut verna est praesto puer, impetus in quem
Continuo fiat, malis tentigine rumpi.

Vs. 33. **Facere, ita tamen, ut pietatem colas,** hoc est, ita ut nulla re facias contra legem et fas pietatis. Phrasis eadem apud Plaut. Asin. III. 1. 6. *Hoccine est pietatem colere, matris imperium minuere.* Cic. de off. lib. III. cap. 21, in versibus Euripidis a se translatis:

Nam si violandum est ius, regnandi gratia
Violandum est: aliis rebus pietatem colas.

id est, cures ne quid facias minus pium. [Nulla hic est adnotatio Ruhnk. FR.]

ACT. III. SC. 5.

Vs. 17. **Noli fodere,** hoc est, admonere me tundendo digito vel cubito. Sic apud Horat. ep. lib. I. vs. 50. ad Numicium [ep. 6.]

Mercemur servum, qui dictet nomina, laevum 164
Qui fodiat latus, et cogat trans pondera dextram
Porrigere.

Intelligit nomenclatorem, qui admoneat dominum de salutandis hominibus gratiosis ambitionis causa et illorum nomina subiiciat.

Vs. 19. **At istos invidos Dii perdant.** Eleganter veteres initio orationis hanc particulam *at* ponunt: imprimis cum ex abrupto incipiunt, aut fingunt personas commotius ob perturbationem quandam loquentes. Sic apud Virg. Aen. lib. II. vs. 534.

Non tamen abstinuit, nec voci iraeque pepercit.
Sic loquitur de Priamo, quamvis in media morte invecti conviciis in Pyrrhum Achillis filium; statimque verba subiungit:

At tibi pro scelere, exclamat, pro talibus ausis,
Di, si qua est coelo pietas, quae talia curet,
Persolvant grates dignas et praemia reddant
Debita etc.

Sic apud Ovid. incipit epistola Medeae ad Iasonem [ep. 12.]
At tibi Colchorum, memini, regina vacavi,
Ars mea, cum peteres, ut tibi ferret opem.
Id. lib. III. Amorum eleg. 7. [init.]
At non formosa est, at non bene culta puella,
At puto non votis saepe petita meis.
[Vid. Ruhnk. ad Andr. IV. 1. 42. FR.]

165 Vs. 44. Non est consilium. Sic Tac. Hist. lib. I. [Annal. I. cap. 1.] *Inde consilium mihi pauca de Augusto et extrema tradere.* Hegesippus de excidio Hierosolymitano lib. IV. cap. 18. *Multa fabulosa de hoc lacu plerique aestimaverunt, quae nobis inexpertis veritatem rei promere numquam consilium fuit.* et eod. lib. cap. 21. *Unde sententiam novi principis de bello Iudaeorum sciscitari Vespasiano consilium fuit, misitque Titum filium et regem Agrippam.*

Vs. 52. Renumerare dotem, hoc est, reddere, restituere. Sic veteres etiam *numerare* dicebant, pro quo nos saepius *dare* aut *solvere* dicimus. Sic in Adelph. III. 3. 15. *Argentum adnumeravit ilico.* et eadem sc. vs. 52. *Nam ut numerabatur forte argentum, intervenit homo de improviso.* Plaut. Epid. II. 2. 120. *Quin tu is intro atque huc argentum promis.* Ep. *I, numera, nihil ego te moror.* Sic apud Cic. habetur: *Numerare stipendium militibus.* [in Pis. XXXVI. §. 88.] item *exponere* et *numerare pecuniam alicui* pro Flacco sect. 19. [§. 44.] *Si praetor dedit, a quaestore numeravit.* Pro eo *solvere* et *dare* ponit ad Att. lib. V. ep. 21. [§. 8.] *Homines non modo non recusare, sed etiam hoc dicere, se a me solvere. Quod enim praetori dare consuessent, quoniam ego non acceperam, se a me quodam modo dare. Numerare, solvere, dare ab aliquo* eodem sensu dicuntur, nempe
166 ex aliena arca dare, aut alterius vel ope vel arca uti in solvendo. Cic. Tusc. quaest. lib. V. sect. 32. [§. 91.] *Postridie rogarunt eum, cui numerari iuberet.*

Vs. 59. Alii, si huic non sit, erit. Sic Cicero fam. lib. II. ep. 11. *De pantheris, per eos, qui venari solent, agitur mandato meo diligenter* etc. *Quidquid erit, tibi erit.* Sic lib. X. ep. 4. *Quare hoc unum tibi persuade, quantum viribus eniti, consilio providere, auctoritate movere potuero, hoc omne reipublicae semper futurum.*

ACT. IV. SC. 1.

Vs. 22. Capere aliquem generum, hoc est, eligere, adsciscere; hac enim significatione hoc verbum interdum accipitur. Sic apud Virg. Georg. lib. II. vs. 230.

Ante locum capies oculis.

Sic apud Livium Sallustiumque *locum castris capere*, h. e. eligere aptum atque idoneum castra metiendo. Sic apud Plaut. in arg. Amphit. [vs. 7.] *Blepharo captus arbiter, uter sit Amphitruo, nequit decernere.* Sic *capi* dicebantur virgines Vestales et flamines ac pontifices. Verba propria pontificis maximi virginem Vestalem capientis: *Sacerdotem Vestalem, quae sacra faciat, quae ius siet sacerdotem Vestalem facere pro populo Romano Quiritium, uti, quae optima lege fuit, ita te, amata, capio.* Gell. lib. I. cap. 12. Sylla lib. II. rerum gest. *P. Cornelius, cui primum cognomen* 167
Syllae impositum est, flamen dialis captus est. M. Cato de Lusitanis: *Ego me nunc volo ius pontificium optime scire: iamne ea caussa pontifex capiar? Si volo augurium optime tenere, ecquis me ob eam rem augurem capiet?* [Cf. Gronov. Lect. Plaut. pag. 206. sq. FR.]

ACT. IV. SC. 2.

Vs. 16. Deserere amicos et cognatos et festos dies. Hoc quoque discessus ex patria gravis putabatur veteribus, quod desiderarentur *festi dies;* idque ideo, quoniam singuli populi propria habebant sacra: itaque si quis ex patria discessisset, non eosdem, quibus assueverat, feriatos dies alibi reperiebat. Hinc etiam Cicero orat. post red. ad Quir. sect. 1. *Amicitiae, consuetudines, vicinitates, clientelae, ludi denique et dies festi, quid haberent voluptatis, carendo magis intellexi quam fruendo.* [Nihil de his est apud Ruhnken. FR.]

Vs. 20. Longinquitas aetatis pro diuturnitate, et vel hinc apparet, τὸ *longinquus* non tantum de loco, sed etiam de tempore dici. Sic Caesar bell. Gall. lib. I. cap. 47. *Propter linguae Gallicae scientiam, qua multa iam Ariovistus longinqua consuetudine utebatur.* Liv. lib. IV. cap. 18. *Tolumnius, quamquam suorum magis placebant consilia, ne longinquam militiam non paterentur Falisci, postero die se pugnaturum edicit.* lib. V. cap. 11. *Quibus delectus, quibus tributum, quibus diutina militia longinquitasque belli* 168
sit gravis etc. et eod. lib. cap. 15. *Unus ex statione Romana percontatus proximum oppidanorum (iam per longinquitatem belli commercio sermonum facto) quisnam is esset* etc. Gell. lib. I. cap. 1. *Comprehensa autem mensura Herculani pedis, quanta longinquitas corporis et mensurae conveniret, secun-*

dum naturalem membrorum omnium inter se competentiam, modificatus est. ubi pro spatio seu longitudine accipitur.

Vs. 22. Omnes causas praecidere omnibus. Sic *praecidere spem* Cic. in Verr. lib. I. sect. 7. [§. 20.] *Id sum assecutus, ut una hora, qua coepi dicere, reo audaci, pecunioso, profuso, perdito spem iudicii corrumpendi praeciderem.* in Verr. lib. II. sect. 62. *Da mihi hoc, iam tibi maximam partem defensionis praecideris.* Off. lib. I. cap. 33. [§. 120.] *Amicitias, quae minus delectent et minus probentur, magis decere censent sapientes sensim dissuere quam repente praecidere.* Catone Mai. 16. [§. 57.] *Quid de pratorum viriditate, aut arborum ordinibus, aut vinearum olivetorumve specie dicam? Brevi praecidam: agro bene culto nil potest esse nec usu uberius nec specie ornatius.* h. e. breviter dicam, paucis expediam. [Cf. ad eum locum Gernhard. FR.]

ACT. IV. SC. 3.

Vs. 14. Excedere e medio, abdere sese sive rus sive
169 in quemvis alium secretum locum, minus observari oculis hominum. Sic contra *in medium exire, proferre*, est in propatulum, in apertum venire, protrahere. Sic Plaut. Amphitr. I. 1. 68. *Utrique imperatores in medium exeunt; extra turbam ordinum colloquuntur simul.* Cic. de orat. lib. II. cap. 24. [§. 102.] *Et quidquid de sua re cogitarit, in medium proferat.* de fin. lib. I. cap. 5. *Prima veniat in medium Epicuri ratio.* pro Cluent. cap. 28. [§. 77.] *Itaque iudices incensi suspicione rem in medium vocare coeperunt.* Sic *posita in medio* opponuntur reconditis. Cic. de orat. lib. I. cap. 3. [§. 12.] *Ceterarum artium studia fere reconditis atque abditis e fontibus hauriuntur, dicendi autem omnis ratio in medio posita communi in usu versatur.* Horat. Serm. lib. I. sat. 2. 108.

Transvolat in medio posita et fugientia captat.

Sic etiam *ex medio petere* vel *sumere* dicunt, i. e. ex iis rebus, quae sunt in promptu, quae omnibus patent. Cic. pro domo cap. 54. *Non quaesita ex occulto aliquo genere litterarum, sed sumpta de medio.* Horat. art. poet. 243.

Tantum de medio sumptis accedit honoris.

[Cf. Ruhnk. ad Adelph. III. 4. 33. Add. Suet. Tiber. cap. 10. *secedere seque e medio quam longissime amovere.* FR.]

Vs. 14. 15. Nos fabulae sumus senex atque anus. Sic tam homines quam res nihili *fabulas* et *nugas* dicebant veteres. Horat. lib. I. od. 4. vs. 16. *Iam te premet*
170 *nox, fabulaeque manes.* Cic. ad Att. lib. VI. ep. 3. *Quid est igitur, quod laborem? Amicos habet meras nugas, M. Scaptium, qui quia non habuit a me turmas equitum, quibus Cyprum vexaret, ut ante me fecerat, fortasse succenset.* ad Q. fratr. lib. I. ep. 2. [§. 2.] *Ego Apamensem Ephaestum,*

go levissimum hominem Megaristum Antandrium, ego Ni-ciam Smyrnaeum, ego nugas maximas omni mea comitatu um complexus. pro Mil. cap. 21. [§. 55.] *Semper ille antea cum uxore; tum sine ea; nunquam non in rheda, tum in equo; comites Graeculi, quocunque ibat, etiam cum in castra Etrusca properabat, tum nugarum in comitatu nihil.* h. e. nugacium hominum et ineptorum. [Simili ratione nullius pretii homines dicuntur *quisquiliae* Cic. or. pro Sext. §. 94. ubi cf. Matth. FR.]

ACT. IV. SC. 4.

Vs. 21. Quid mulieris uxorem habes? Locutio elegans, quales hae apud Plaut. Amphitr. II. 1. 26. *Quid hoc sit hominis?* et II. 2. 135. *Neque aedepol ego dixi, neque istam vidi, nisi tecum simul.* M. *Quid hoc sit hominis?* [Cf. Ruhnk. ad Heaut. IV. 8. 7. FR.]

Vs. 31. Nullus sum. Crebrum comicis, desumptum videlicet ex sermone communi, in quo homines vehementer perturbati utebantur hac formula. Eodem sensu dicebant *perii, occidi.* Sic Asin. V. 2. 72. *Age, surge amator, i domum.* D. *Nullus sum.* A. *Immo es, ne negato, omnium* 171
pol nequissimus. Mostell. II. 1. 44. [vs. 41.] *Perii.* T. *Habe bonum animum, ego istum lepide medicabor metum.* Ph. *Nullus sum.* Sic et mortuos dicebant *nullos.* Plin. lib. II. cap. 63. de terra: *Cuius numen ultimum iam nullis precamur irati grave: tanquam nesciamus, hanc esse solam, quae nunquam irascatur homini.* Mos erat antiquis, amicis sepultis optare *terram levem,* inimicis *gravem.* Sic Tibull. lib. II. eleg. 4. vs. 49. 50.

Et bene, discedens dicet, placideque quiescas,
Terraque securae sit super ossa levis.

Mart. lib. V. ep. 34. vs. 9.

Mollia nec rigidus cespes tegat ossa, nec illi
Terra gravis fueris, non fuit illa tibi.

In contrarium rursus Tibull. lib. I. eleg. 4. vs. 59. 60.

Iam tu, qui Venerem docuisti vendere primus,
Quisquis es, infelix urgeat ossa lapis.

Igitur Plinius deridens hunc morem, dicit frustra homines aliis iam *nullis* (h. e. iam mortuis) imprecari numen terrae grave, cum terra nunquam irascatur hominibus, et utcunque rastris aut aratris vexata, semper illos tamen benignissime alat. [Cf. Ruhnk. ad Andr. III. 4. 21. FR.]

Vs. 74. Divinare est interdum praedicere futura, vaticinari; interdum coniiciendo rem acu tangere, verum di- 172
cere, ut hic; priori modo apud Cic. Tusc. quaest. de Apolline lib. I. cap. 48. [cap. 47. §. 114.] *Cui reliqui Dii concessissent, ut praeter ceteros divinaret.* et de div. lib. I.

cap. 40. extrem. *Ut enim sapere, sic divinare regale ducebant veteres.* Sic eleganter Seneca in Thyeste 604.

Ille, qui donat diadema fronti,
Quem genu nixae tremuere gentes:
Anxius sceptrum tenet et moventes
Cuncta divinat metuitque casus
Mobiles rerum dubiumque tempus.

hoc est, sibi ipsi vaticinatur dubiam fortunam, providet, praesagit. Hinc etiam *divinus*, substantive veluti, dicitur pro vate, futura praedicente. Sic Liv. lib. I. cap. 36. de Tarquinio Prisco et Attio Naevio augure: *ex eo ira regi mota, eludensque artem (ut ferunt), Agedum, inquit, divine tu, inaugura, fierine possit, quod ego nunc mente concipio.* Mart. lib. III. ep. 71.

Non sum divinus, sed scio quid facias.

Sic denique *scire divinitus* est posse vaticinari, praedicere futura. Curc. II. 1. 33. *Vah solus hic homo est, qui sciat divinitus. Quin coniectores a me consilium petunt.*

ACT. IV. SC. 5. [ACT. V. SC. 1.]

Vs. 10. Non est peccato mihi ignosci aequum. Rara et exquisita locutio per ellipsin praepositionis. Signi-
173 ficat enim, nobis in peccato seu peccantibus ignosci aequum non esse. Similis ratio loquendi est apud Cic. in orat. II. de leg. agr. cap. 2. *Quae cum omnibus est difficilis et magna ratio, tum vero mihi praeter ceteros, cui errato nulla venia, recte facto exigua laus et ab invitis expressa proponitur.* h. e. cui in errato, vel, si erraverit; itaque mox intelligendum: cui in recte facto, vel, si recte fecerit. [Simile est Taciti Ann. XI. 10. *multum certato.* i. e. quum certatum esset. et satis nota sunt huius generis alia, veluti *audito, comperto, cognito.* Cf. Arntzen. ad Aurel. Vict. pag. 26, a. FR.]

Vs. 16. Receptare aliquem fere sumitur in malam partem, pro *recipere et celare aliquem prave vel turpiter facientem.* Sic apud Cic. pro Mil. cap. 19. [§. 50.] *Sustinuisset hoc crimen primum ipse ille omnium latronum occultator et receptator.* Sic etiam accipitur a Metio in tit. ff. de receptoribus: *Pessimum, inquit, genus est receptorum, sine quibus latere nemo potest. Receptores* etiam dicuntur in L. XIII. de Off. Praesidio: *Nam et sacrilegos, latrones, plagiarios et fures conquirere debet, et prout quisque deliquerit, in eum animadvertere receptoresque eorum coërcere.* [Cf. Ruhnk. ad Adelph. V. 3. 13. FR.]

ACT. IV. SC. 6. [ACT. V. SC. 2.]

Vs. 5. Deierare persancte. Sic supra I. 1. 3. *Vel*

hic Pamphilus iurabat quoties Bacchidi, quam sancte, ut quivis facile posset credere. II. 2. 26. *Sancte adiurat non posse apud vos Pamphilo se absente perdurare.* V. 1. 25. *Aliud si scirem, qui firmare meam apud vos possem fidem,* 174
sanctius, quam iusiurandum, id pollicerer tibi, Laches.

Vs. 6. **Dedere ancillas vel servos quaestioni.** Mos erat veteribus purgantibus sese eo, quod nulla esset servorum conscientia, sine quibus tamen facinus aliquod perpetrare non potuissent. Hi servi vel ancillae torquebantur, sed volentibus, immo et dedentibus dominis. Mostell. V. 1. dicit Theuropides Simonem negare se vendidisse aedes suas, inque eam rem, perinde ut hic Bacchis, primum afferre iusiurandum, deinde quaestionem in servos vs. 369. [vss. 36—39.] *Quin iusiurandum pollicitus est dare, si vellem, mihi, neque se hasce aedes vendidisse. Servos pollicitus est dare suos mihi omnes quaestioni.* Cic. pr. Rosc. Am. cap. 28. [§. 77.] *Quod in tali crimine innocenti saluti solet esse, ut servos in quaestionem polliceatur, id Sexto Roscio facere non licet: vos qui hunc accusatis, omnes eius servos habetis.* Idem pro Milone ostendit unum solum esse casum, quod adversus salutem domini servi torqueantur, videlicet cum agitur de incestu, cap. 22. [§. 59.] *De servis nulla quaestio est in dominos, nisi de incestu, ut fuit in Clodium.* Tac. Ann. lib. II. cap. 30. *Negante reo, agnoscentes servos per tormenta interrogari placuit. Et quia vetere senatusconsulto quaestio in caput domini prohibebatur, callidus et novi iuris repertor Tiberius mancipari singulos actori publico iubet; scilicet ut in Libonem ex servis salvo senatusconsulto quae-* 175
reretur. Quare nonnunquam male sibi conscii solebant emancipare servos et manumittere, ne cogerentur pollicere eos in quaestionem: hoc inimici obiiciebant Miloni; quare Cicero eundem defendit ab hoc crimine [cap. XXI. §. 57.] *Cur igitur eos manumisit? Metuebat scilicet ne indicaretur, ne dolorem perferre non possent, ne tormentis cogerentur occisum esse a servis Milonis in Appia via Clodium confiteri.* Hoc obiicit ipse Cicero Clodiae in orat. pro M. Coelio cap. 29. *At sunt servi illi de cognatorum sententia nobilissimorum et clarissimorum hominum manumissi. Sed scire cupio, quid habeat argumenti ista manumissio, in qua aut crimen est Coelio quaesitum, aut quaestio sublevata, aut multarum rerum consciis servis cum causa praemium persolutum.*

Vs. 21. **Explere animum** est satisfacere alicui, satiare vel desiderium vel vindictam alicuius. Sic et scena praecedente vs. 29. Cic. pro domo sua cap. 17. [§. 44.] *Equidem iam perfunctus sum: nullam vim, nullum impetum metuo: explevi animos invidorum: placavi odia improborum:*

saturavi etiam perfidiam et scelus perditorum. [Cf. Ruhnk. ad Andr. I. 2. 17. FR.]

ACT. V. SC. 3.

Vs. 27. Exanimatum esse, commotum ita, vix ut
176 respirare possis. Etenim *anima* Latinis interdum significat idem quod spiritus sive anhelitus. Sic Mercat. I. 2. 15. *Perii! Animam nequeo vertere: nimis nihili tibicen siem.* Asin. V. 2. 44. *An foetet anima uxoris tuae?* Hinc igitur *exanimatus*, qui propemodum spiritum vel anhelitum perdidit. Sic Andr. I. 4. 7. *Quidnam Pamphilum exanimatum video?* Phorm. III. 3. 433. [vs. 32.] *Illam miseram, quam ego nunc intus scio esse exanimatam metu.* Hac fab. III. 3. 4. *Qua me propter exanimatum citius eduxi foras.* Hinc Cic. *exanimationes* dicit pro vehementibus commotionibus ac perturbationibus, de off. lib. I. cap. 36. [§. 131.] *Sed multo etiam magis elaborandum est, ne animi motus a natura recedant: quod assequemur, si cavebimus, ne in perturbationes atque exanimationes incidamus.*

ACT. V. SC. 3. [4.]

Vs. 1. Certa et clara afferre. Non temere haec iungit Terentius. Sic Sen. in ludo de morte Claudii [cap. 1.] *Ab hoc ego, quaecunque audivi, clara et certa affero: ita illum salvum et felicem habeant.* Plaut. Pers. II. 2. 1. *Satin' haec tibi sunt plana et certa? Satin' haec meministi et tenes?* Liv. lib. I. cap. 18. *Iupiter pater, si est fas, hunc Numam Pompilium, cuius ego caput teneo, regem Romae esse, uti tu signa nobis certa adclarassis inter eos fines, quos feci.*

Vs. 31. Esse alicui purgatum. Sic Caesar de bello
177 civ. lib. I. cap. 8. *Velle Pompeium se Caesari purgatum, ne ea, quae reipublicae causa egerit, in suam contumeliam vertat: semper se reipublicae commoda privatis necessitatibus habuisse potiora.* [Omisit haec Ruhnk. FR.]

Vs. 38. Praeterire aliquem, fugere aliquem, ignorari alicui, non animadverti. Sic Columella de re rust. in praef. lib. I. [cap. 28. §. 1.] *Post hanc tam multarum tamque multiplicium rerum praedicationem non me praeterit, si quem desideramus agricolam, quemque describimus, exegero a participibus agrestium operum, tardatum iri studia discentium.* rursumque idem eiusdem libri cap. 6. [§. 12.] *Neque me praeterit sedem frumentis optimam quibusdam videri horreum camera contectum.*

IO. FRED. GRONOVII
NOTAE
IN
TERENTII PHORMIONEM

ACT. I. SC. I. 178

Vs. 3. **Reliquum de ratiuncula conficere.** Sic Cic. in Verr. lib. I. cap. 52. [§. 138.] *Permagnam, eum dicere, ex illa re pecuniam confici posse.* Idem in fragm. ad Caes. Iun. lib. I. [Cic. Orell. Tom. IV. P. II. pag. 463.] *In singulas tegulas impositis sexcentis, sexcenties confici posse.* Est autem *sexcenties* breviter dictum pro *sexcenties centena millia nummum.* [De his nihil legitur apud Ruhnken. FR.]

Vs. 6. **Conradere pecuniam** est anxie et aegre quaerere. Sic supra Adelph. II. 2. 34. *Minas decem conradet alicunde.* [Hanc formulam non explicat Ruhnk. FR.]

Vs. 7. **Inique comparatum esse** est prave institutum esse, malam consuetudinem esse. Sic auctor ad Her. lib. IV. cap. 23. [cap. 16. §. 23.] *Bene maiores nostri hoc comparaverunt, ut neminem regem, quem armis cepissent, vita privarent.* Idem lib. III. cap. 4. [cap. 3. §. 4. extr.] *Si quod ius in parentes, Deos, patriam natura comparavit,* 179 *id religiose colendum demonstrabimus.* Cic. pr. Quint. cap. 16. *Itaque maiores nostri raro id accidere voluerunt, praetores, ut considerate fieret, comparaverunt.* Idem pr. Sext. Rosc. Am. cap. 36. *Itaque more maiorum comparatum est, ut in minimis rebus homines amplissimi testimonium de sua re non dicerent.* Id. ibid. cap. 53. *Illam priorem, quae facta est in eos, qui arma capere potuerunt, tamen senatus suscipere noluit, ne quid acrius, quam more maiorum comparatum est, publico consilio factum videretur.*

Vs. 9. **Unciatim comparcere,** hoc est, per minimas partes et summulas. Veteres omnia metiebantur per assem et eius partes. *Assem* vocabant omne totum, partes eius faciebant 12. Eae sunt: *Deunx*, partes 11; *Dextans,*

partes 10; *Dodrans*, partes 9; *Bes*, 8; *Septunx*, 7; *Se* 6; *Quincunx*, 5; *Triens*, 4; *Quadrans*, 3; *Sextans*, *Uncia*, una pars. Uncia dividitur in duas *Semuncias*, q tuor *Sicilicos*, in sex *Sextulas*, in viginti quatuor *Scriptu* Vide Columell. de re rust. lib. V. cap. 1. [a §. 8.] Sic *p dem* dicebant assem, eumque faciebant unciarum duodeci Quae continet digitos sedecim. Uncia tum erat *pollex*, digitus cum triente, vel quatuor partes digiti. Sic *se sem* dicebant sex Pollices, *trientem* pedis 4 Pollices, *b sem* 8 Pollices. Sic Cato de re rust. cap. 18. *Foram*
180 *longa pedes tres semis quadrantem*. h. e. pedes tres et midium et sex pollices. Colum. lib. IV. *Dupondio et drante altum sulcum latum pedes quinque*. h. e. altum profundum duos pedes et novem pollices seu digitos duo cim. Etenim *dupondius* idem quod duo asses. Quia igi pes as, dupondius duo pedes, Plin. lib. XIII. cap. 15. citrina mensa Tiberii: *Quattuor pedes sextante sicilico cedentem, tota vero crassitudine sescunciali*. i. e. quatt pedes duobus pollicibus et quadrante, seu quarta polli parte excedentem: deinde crassitudine sesqui pollicis. N *sescuncia* est uncia cum dimidia. Ibid. de mensa Nom *Tribus sicilicis infra quattuor pedes, totidemque infra mipedem crassitudinis*. Significat longitudine quaternum p dum defuisse tres pollicis partes, sive dodrantem polli (si ipsum quoque pollicem per assem dividas) qui est u digitus. Suet. Octav. cap. 79. *Iulius Maratus libertus ste turam eius quinque pedum et dodrantis fuisse tradit*. h. novem pollicum. Sic etiam dividebant agros. Iugeru quod habebat pedes viginti octo millia octingentos, censebatur, pars dimidia iugeri 14400, *semis*, pars terti pedes 9600, *triens*, partes duae tertiae pedes, 19200, *b* pars duodecima 2400, *uncia*, pars vigesima quarta 120 *semuncia*. Uncia perinde habebat viginti quattuor *scrupul* quae minima pars erat agri: erat autem *scrupulum* 10 p dum in longitudinem et latitudinem quadratum: qui in
181 reducti faciunt aream centenum pedum. Liv. lib. V. ca 24. *Terna iugera et septunces viritim diviserunt*. h. e. singuli supra terna iugera acciperent partem dimidiam unam duodecimam, hoc est, pedes 16800. Idem lib. VII cap. 11. *Bina in Latino iugera ita, ut dodrantem ex Pri vernati complerent, data: terna in Falerno, quadranti etiam pro longinquitate adiectis*. Ex Privernati igitur a ceperunt tres partes quartas iugeri pedum nempe 216 Hic enim dodrans, in Falerno supra terna iugera quart partem iugeri pedum septem millium ducentorum denota Sic etiam dividebant sextarium, mensuram vini. G. ein ein [illegible]. paulo minus. *Sextarius* quadragesima pars ampho rae, sexta congii (*amphora* enim sive quadrantal divide

tur in duas *urnas*, octo *congios*, quadraginta *sextarios*) continebat duodecim *cyathos*, tanquam as: numerus ergo cyathorum infra sextarium partibus assis designabatur. Sic duo cyathi *sextans* Mart. lib. V. ep. 64.

Sextantes, Calliste, duos infunde Falerni.

tres *quadrans* lib. IX. ep. 94.

Quadrantem duplica de seniore cado.

triens quattuor cyathi lib. I. ep. 107. [vs. 8.]

Crebros ergo bibas licet trientes,
Et durum iugules mero pudorem.

lib. IV. ep. 82. [ep. 83. vs. 5.]

Sed nec post primum legat haec summumve trientem.

quasi diceret, post primum vel ultimum poculum. lib. IX. ep. 88.

Septem post calices Opimiani 182
Denso cum iaceam triente blaesus.

hoc est, cum propter crebra pocula linguae sim impeditae. *quincunx* quinque cyathi lib. I. ep. 28.

Hesterna tibi nocte dixeramus,
Quincunces, puto, post decem peractos,
Coenares hodie, Procille, mecum.

lib. II. ep. 1. [vs. 9.]

Te conviva leget, misto quincunce, sed ante
Incipiet positus quam tepuisse calix.

septunx septem cyathi lib. III. ep. 82. [vs. 29.]

Septunce multo deinde perditus stertit.

lib. VIII. ep. 51. [vs. 21.]

Det numerum cyathis instanti litera Rufi;
Auctor enim tanti muneris ille fuit.
Si Telethusa venit promissaque grandia portat,
Servabor Dominae, Rufe, triente tuo.
Si dubia est, septunce trahar: si fallat amantem,
Ut iugulem curas, nomen utrumque bibam.

bes octo cyathi lib. XI. ep. 36. [vs. 7.]

Quincunces et sex cyathos, bessemque bibamus,
Caïus ut fiat, Iulius et Proculus.

deunx undecim cyathi lib. VI. ep. 78. [vs. 6.]

Misceri sibi protenus deunces,
Sed crebros iubet.

lib. XII. ep. 28.

Poto ego sextantes: tu potas, Cinna, deunces.

Suet. Oct. cap. 77. *Quoties largissime se invitaret, senos sextantes non excessit.* Sic etiam hereditas dividitur in 183
duodecim uncias, quae assis appellatione continentur, inquit Iustinianus de heredibus instituendis Inst. lib. II. tit. 14. Qui igitur unam ex duodecim partibus accipit, ex uncia haeres dicitur: qui duas, ex sextante: qui tres, ex quadrante: qui quattuor, ex triente: qui quinque, ex quin-

unce, et ita deinceps; qui totum solus accipiebat, ex asse heres dicebatur. Si duo sint pari iure heredes, uterque ex semisse erit; si tres, omnes ex triente; si quattuor, omnes ex quadrante. Suet. Iul. cap. 83. *Tres instituit heredes sororum nepotes, Caium Octavium ex dodrante,* (ergo is accepit novem partes, restant tres, sive quadrans) *et C. Pinarium et Q. Pedium ex quadrante reliquo.* Sic uterque horum accepit sescunciam. August. cap. ult. *Heredes instituit primos Tiberium ex parte dimidia et sextante* (ergo hic habuit bessem sive octo uncias vel partes) *Liviam ex parte tertia* (i. e. ex triente, qui quattuor partes complectitur) *secundos Drusum Tiberii filium ex triente* (i. e. ut quattuor partes haberet) *et ex partibus reliquis Germanicum liberosque eius sexus virilis.* Quint. lib. VII. cap. 1. [pag. 584.] *An ille, cuius nomine agitur, heres sit foeneratoris, an ex asse haeres.* Iterum id ipsum adhuc dividitur, etiamsi uterque sibi totum vindicaret: nunc utique cum semissem, alter universa fratre excluso. Cic. ad Att. lib. VII. ep. 8. *Dolabellam video Liviae testamento cum duobus coheredibus esse in triente.* id est, ipsum cum duobus institutum esse simul
184 heredem quattuor unciarum sive partium. pro Caec. cap. 6. [§. 17.] *Ut in pauca conferam, testamento facto mulier moritur. Facit heredem ex deunce et semuncia Caecinam: ex duabus sextulis M. Fulcinium, libertum superioris viri: Aebutio sextulam adspergit.* Sic Caecina habuit partes undecim et dimidiam; Fulcinius ex reliqua semuncia partes duas; Aebutius denique unam ex sex. Uncia enim sex habet *sextulas.* M. Senec. controv. 28. [lib. IV. pag. 307. ed. Bip.] *Ex uncia heres erat patris sui Galla.* Hinc etiam nomina usurarum petebant. Vid. Budaeum de asse lib. I. fol. 24. Cicero ad Att. lib. I. ep. 12. ib. lib. V. ep. 21. [§. 8.] *Centesimas usuras* dixere duodecim annuos nummos pro fructu atque usu centum nummorum foenori datorum: sive quod centesimo mense usurae sortem aequent, sive quod centesima pars singulis pendatur mensibus. Ergo easdem usuras tanquam assem consideraverunt et hinc usurae deunces, vel simpliciter deunces, quae undecim dant in centum. Persius Satir. V. vs. 149.

Quid petis? Ut nummi, quos hic quincunce modesto
Nutrieras, peragant avidos sudore deunces?

Respectu enim deuncium modicae modestaeque sunt usurae quincunces, quibus quinque dantur in centum. Scaevola in lege credit. ff. de solutionibus: *Titius mutuam pecuniam accepit et quincunce usuras spopondit, easque paucis annis solvit. Postea nullo pacto interveniente per errorem et ignorantiam semisses usuras solvit.* Semisses sex in centum sic trientes quattuor in centum. Lege 7. de administrat. Tutorum: *Ex certis caussis secundum morem provinciae*

praestabit usuras aut quincunces aut trientes, aut si quae 185 *aliae leviores, in provincia frequentantur. Besses*, octo in centum. Cic. ad Att. lib. IV. ep. 15. [§. 7.] *Foenus ex triente, idibus Quintilibus factum erat bessibus.* h. e. duplo maius. Nam trientes quattuor in centum besses octo exigunt; quadrantes tres in centum. L. 21. ff. de annuis legatis et fidei commissis: *Pecuniam, quam Titio liberto et alumno meo legavi, esse volo penes Publ. Maevium usque ad annum vigesimum aetatis eius, proque ea computari cum eo quadrantes usuras.* Uncias usuras unum in centum. Leg. Titium ff. de administratione Tutorum: *Quaero si apparuerit pecunia foenerata tutoribus, iudicio tutelae uncias usuras, an vero eas, quas stipulati sunt, praestare debeant.* Inde et unciarum foenus et semunciarum. *Ne quis unciario foenore amplius exerceret.* Vid. Tac. Ann. VI. cap. 16. Liv. lib. VII. cap. 27. *Tito Manlio Torquato C. Plautio coss. semunciarium tantum ex unciario foenus factum est.* Sic etiam tempus distinguebant. Plin. lib. II. cap. 14. [cap. 11.] *Lunam haud dubium est lucere dodrantes semuncias horarum ab secunda adiicientem usque ad plenum orbem, detrahentemque in diminutionem.* h. e. novem partes horae (seu ut nos computamus vulgo, tres partes drie quartier) et insuper quartam et vicesimam horae partem, seu novem uncias et dimidiam decimam; nam semuncia vigesima quartá pars in asse, qui hic est hora. Columell. lib. II. cap. 4. *Sed iugerum talis agri quattuor operis expeditur, nam commode proscinditur duabus, una iteratur, tertiatur dodrante,* 186 *in litam quidam statim* [in liram satum] *redigitur quadrante opere. Dodrantem operae* dixit pro tribus partibus diei artificialis, hoc est, novem horis. Denique Cicero etiam aedificii dodrantem dixit ad Att. lib. I. ep. 14. *Quintus frater Argiletani aedificii reliquum dodrantem emit sestertium nummum septingentis viginti quinque millibus.*

De demenso suo aliquid comparcere, hoc est, de summe necessariis ad victum, de diuturno victu. *Demensum* erat proprie numerus frumenti, quod admetiebantur domini servis pro alimentis. Sic Plaut. Stich. I. 2. 3. *Vos meministis, quot Calendis petere demensum cibum.* Donat. quaternos modios fuisse ait, Seneca videtur facere quinos, epist. LXXX. 17. *Ille qui in scena elatus incedit et haec resupinus dicit:*

En impero Argis, regna mihi liquit Pelops:

servus est, quinque modios accipit, in mensem puta. Ceterum quam parum hoc fuerit, indicat etiam locus Sall. fragm. in orat. lib. III. M. Licinii: *Nisi forte repentina ista frumentaria lege munia vestra pensantur. Qua tamen quinis modiis libertatem omnium aestimavere, qui profecto non amplius possunt alimentis carceris.* Ceterum *demensum dare*

etiam de aliis dicitur, veluti apud Plaut. Menaech. p
187 vs. 14. *Nunc argumentum vobis demensum dabo.* Cic. orat. cap. 38. [cap. XII. §. 38.] *Quae non ex insidiis, aperte ac palam elaboratur, ut verba verbis quasi deme et paria respondeant.*

ACT. I. SC. 2.

Vs. 12. **Dicare alicui operam,** eodem sensu, *dare.* Sed desumptum est a sacris, quae proprie *dicat dedicata* dicuntur. Cic. ad fam. lib. II. ep. 6. *Hoc peto, ut subvenias huic meae sollicitudini, ut huic meae la vel ut verius dicam, prope saluti tuum studium dices.* orat. lib. III. cap. 3. *Non vidit eorum ipsorum, qui adolescentes Crasso se dicarant, horribiles miserosque ca* h. e. qui ei operam dabant, qui eum assidue sectaban in frag. ad Caium Caesarem lib. I. [Cic. Orell. Tom. P. II. pag. 462.] *Balbum quanti faciam, quamque ei totum dicaverim, ex ipso scies.*

Vs. 28. **Advorsum stimulum calces,** ita repugn vel se defendere, ut maius inde damnum reportes. Dic autem per ellipsin verbi, cum integrum sit, *adversum sti lum calces ducere;* idque proprie est iumentorum, ve boum, equorum, mulorum, asinorum: hi enim stimulis guntur, contra quos si calcitrent, gravius dolent. Gra πρὸς κέντρα λακτίζειν in verbis Christi ad Saulum,
188 postea Paulus, in act. apost. cap. IX. vs. 5. et apud Euri Bacch. 794. πρὸς κέντρα λακτίζειν legimus, vel πρὸς κέ κῶλον ἐκτείνειν, apud Scholiasten Aesch. in Prometh. Pl dicit *stimulos pugnis caedere,* Truc. IV. 2. 59. [vs. 55. *stimulos pugnis caedis, manibus plus dolet.*

Vs. 35. **Oculos pascere.** Sic Lucret. lib. II. vs.

Neve bonos rerum simili constare colores
Semine constituas, oculos qui pascere possunt,
Et qui compungunt aciem lacrymareque cogunt.

Plaut. Poen. V. 4. 1. *Fuit hodie operae pretium eius, amabilitati animum addiceret, oculis epulas dare.* Iust. XXI. cap. 5. *In macello perstare, quod emere non pote oculis devorare.* Mart. lib. I. ep. 97. vs. 12.

Sed spectat oculis devorantibus draucos.

Id. lib. IX. ep. 60. vs. 3.

Inspexit molles pueros oculisque comedit.

Vs. 73. **Homo confidens.** Locum hunc respexit in orat. pro Caecin. cap. 10. *Sextus Clodius, cui nomen Phormio, nec minus niger nec minus confidens, quam Terentianus est Phormio.*

Qui illum Dii omnes perduint. Hunc elegan

idiotismum, quo per iram quasi abrumpitur oratio impre-
cando, et videmur oblivisci, quae occepimus, expressit 189
praeclare Cic. ad Att. lib. IV. ep. 7. *De Apollonio quod scribis, qui illi Dii irati! homini Graeco, qui conturbare quidem putat sibi licere; quod equitibus Rom.: nam Terentius suo iure.*

Vs. 77. Scribere alicui dicam, in ius vocare. [δίκην γράφεσθαι.] Sic infra II. 1. 15. [sc. 2. vs. 15.] *En unquam iniuriarum audisti mi scriptam dicam?* et IV. 3. 63. *Sexcentas proin potius scribito iam mihi dicas: nihil do.* Plaut. Aulul. IV. 10. 30. *Iam quidem ad praetorem hercle te rapiam et tibi scribam dicam.* Poen. III. 6. 5. *Cras subscribam homini dicam.*

ACT. I. SC. 3.

Vs. 14. Depacisci vel depecisci mortem est petere aliquid vel conditione mortis proposita, aut non recusare mortem, si eius pactione res aliqua desiderabilis sit petenda. Sic Virgilius Aeneid. lib. XII. vs. 48. 49.

Quam pro me curam geris hanc, precor, optime, pro me
Deponas, lethumque sinas pro laude pacisci.

Idem eodem tamen sensu *vitam pacisci* dixit lib. V. vs. 229.

Hi proprium decus et partum indignantur honorem
Ni teneant, vitamque volunt pro laude pacisci.

vitam scilicet ut dent; mortem, ut recipiant vel subeant.
Cic. pro Sext. Rosc. cap. 38. *Cum illo contra hos inire* 190
consilia, horum consilia illi enuntiare, cum illo partem tuam depacisci. h. e. pactum facere de parte sibi tribuenda. et eadem orat. cap. 39. *Hunc funditus evertit bonis; ipse tria praedia sibi depactus est.* ICti in malam partem fere accipiebant. Unde Ulpianus de calumniatoribus: *Dicitur depactus, turpiter pactus.* Sic Cic. de invent. lib. II. cap. 72. [cap. XXIV. §. 72.] *Quidam imperator cum ab hostibus circumsideretur, neque effugere ullo modo posset, depactus est cum iis, ut arma et impedimenta relinqueret, milites educeret.* Apulei. lib. X. pag. 840. 14. *Grandi denique praemio cum altore meo depacta est noctis unius concubitum.* Idem in apolog. 522. *Est enim omnium litium depector, omnium falsorum commentator, omnium malorum seminarium.* Depector litium, qui alias redemptor, G. ein actie koopér.

ACT. I. SC. 4.

Vs. 5. Providere aliquid astu, hoc est, praevenire, praecavere. Cicero pr. Planc. 32. [cap. XXII. §. 53.] *Qui te incautum fortasse nunc tuo loco demovere potuerunt, providentem ante et praecaventem nunquam certe movebunt.*

Cic. orat. I. de leg. agr. cap. 37. [orat. II. cap. 37. §. 102.] *Quae nobis designatis timebatis, ea ne accidere possent consilio meo ac ratione provisa sunt.* Idem in orat. pro Marcello cap. 7. *Nunc vero venio ad gravissimam querelam et atrocissimam suspicionem tuam, quae non tibi ipsi magis, quam cum omnibus civibus, tum maxime nobis, qui a te*
191 *conservati sumus, providenda est.* Liv. lib. XXIV. cap. 8. *Itaque quis ad gubernacula sedeat, summa cura praevidendum ac praecavendum vobis est.* Apud eundem saepe haec duo verba coniunguntur, *providere et praecavere, provisa et praecauta*, e. g. lib. XXXVI. cap. 17. *Satis undique provisum anteque praecautum est, ne quid adversus vos in pugna praeter hostes esset.* [Cf. Ruhnk. ad Andr. I. 3. 3. FR.]

Vs. 46. **Aufer mihi; oportet.** Sic apud Horat. lib. II. Sat. 7. vs. 42.

Quod si me stultior ipso
Quingentis empto drachmis deprenderis? aufer
Me vultu terrere: manum stomachumque teneto.

Ter. hac fab. V. 6. 17. *Quin tu hinc pollicitationes aufer.* Simile est illud Iuvenal. Sat. VI. vs. 169.

Tolle tuum, precor, Hannibalem victumque Syphacem
In castris, et cum tota Carthagine migra.

Vult enim dicere: Cessa mihi loqui de Hannibale et victo Syphace.

ACT. I. SC. 5. [ACT. II. SC. 1.]

Vs. 2. **Simultatem alicuius revereri.** Abstinere ab aliqua re facienda, quia vereare, ne amici animum offendas. Hanc phrasin atque adeo totum locum pulchre expressit Cic. ad Att. lib. II. ep. 19. *Sed mihi nihil est mo-*
192 *lestius, quam Statium manumissum. „Nec meum imperium! ac mitto imperium, non simultatem meam Revereri saltem!" Nec quid faciam, scio; neque tantum est in re, quantum est sermo.*

Vs. 7. **Causam tradere adversariis**, hoc est, facile pati se vinci, nec industrie se defendere. Tale est in L. 2. 12. ff. de verborum significatione: *Praevaricatores eos appellamus, qui caussam adversariis suis donant et ex parte actoris in partem rei concedunt.*

Vs. 36. **Adesse.** Verbum proprium patronorum in caussis et litibus forensibus. Senec. de brevit. vitae cap. 2. *Omnes denique istos ab infimis usque ad summos pererra; hic advocat, hic adest; ille periclitatur, ille defendit, ille iudicat.* Cic. pro Milone cap. 14. [§. 37.] *Vidi enim, vidi hunc ipsum Q. Hortensium lumen et ornamentum reipublicae paene interfici servorum manu, cum mihi adesset.* hoc est,

cum mihi advocatus esset. Inde eleganter transfertur ad alia, ut *adesse* sit idem quod patrocinari, auxilio esse, tueri ac defendere. Sen. Cons. ad Marciam cap. 7. *Nec ulli animali longum foetus sui desiderium est, nisi homini; qui adest dolori suo, nec tantum, quantum sentit, sed quantum constituit, afficitur.* Idem ad Polyb. cap. ult. *Noli ergo contra te ingenio uti tuo, noli adesse dolori tuo.*
Quint. Declam. IV. cap. 3. *Illa quoque, quae velut extrinsecus* 193
consentiebant, affuere responso, bellum, hostis, acies. h. e. iuvere responsum, defenderunt veritatem responsi.

Vs. 37. Praesto esse. Verbum etiam proprium patronorum sive advocatorum. Cic. in orat. pro Muraena cap. 9. *Servius hic nobiscum hanc urbanam militiam respondendi, scribendi, cavendi, plenam sollicitudinis et stomachi secutus est. Ius civile didicit, multum vigilavit, laboravit, praesto multis fuit.* Idem in Bruto sive de clar. orat. cap. 324. [cap. XCIV. §. 324.] *Quibus quidem caussis tu etiam, Brute, praesto fuisti, compluresque et nobiscum et solus egisti.*

Vs. 41. Minus rei aut famae temperantem esse. Pro eo *parcere* dicit Sallust. in bell. Cat. cap. 25. *sed ei cariora semper omnia, quam decus atque pudicitia fuit; pecuniae an famae minus parceret, haud facile discerneres.*

Vs. 62. Servus homo. Sic apud Sallust. *mulier ancilla*, in bello Iug. cap. 12. *cum interim Hiempsal reperitur, occultans se tugurio mulieris ancillae.* Tale est apud Plaut. *mulier meretrix.* [Cf. Ruhnk. ad Eunuch. III. 5. 1. FR.]

Orare caussam. Sic Virg. Aeneid. lib. VI. vs. 846. 194

Excudent alii spirantia mollius aera,
Credo equidem: vivos ducent de marmore vultus,
Orabunt caussas melius, coelique meatus
Describent radio.

Liv. lib. XLV. cap. 36. *Ut, quoniam hora iam octava diei esset, in posterum diem differrent et mane eam rem agerent; integro sibi die ad causam eam orandam opus esse.* Sic *inorata re* eleganter Cic. pro Sext. Rosc. Am. cap. 10. [§. 26.] *Homines antiqui, qui ex sua natura ceteros fingerent, cum ille confirmaret, sese nomen S. Roscii de tabulis exempturum, praedia vacua filio traditurum; cumque id ita futurum Titus Roscius Capito, qui in decem legatis erat, appromitteret, crediderunt, Ameriam re inorata reverterunt.* h. e. indicta, nullo de re verbo facto.

ACT. II. SC. 1. [2.]

Vs. 20. Ducere damnatum domum proprie dicitur de obaeratis, qui cum non essent solvendo, adiudicaban-

tur creditoribus, ut apud eos vincti et compediti operas praestarent. Sic Plaut. Asin. eodem alludens V. 2. 87. *Male cubandum est: iudicatum me uxor adducit domum.* Idque ex lege XII tabularum quam refert Gell. lib. XV. cap. 13.
195 [Cf. XX. 1.] *Aeris confessi debitique iudicatis triginta dies iusti sunto. Post deinde manus iniectio esto. In ius ducito. Ni iudicatum faxit, secum ducito. Vincito aut nervo aut compedibus quindecim pondo; nec minore, aut si volet, maiore vincito.* Ideo iidem homines *iudicati* et *addicti* et *nexi* dicebantur. Cic. pro Flacco cap. 20. [extr.] *Itaque recuperatores contra istum rem minime dubiam prima actione iudicaverunt. Cum iudicatum non faceret, addictus Hermippo et ab hoc ductus est.* et supra cap. 19. [§. 45.] *Utrum enim in clarissimis est civibus is, quem iudicatum hic duxit Hermippus.* de orat. lib. II. cap. 63. *Ut apud Naevium videtur esse misericors ille, qui iudicatum duci videt, percunctatus ita: Quanti addictus.* Livius lib. II. cap. 23. *Aes alienum fecisse; id cumulatum usuris, primo se agro paterno avitoque exuisse, deinde fortunis aliis; postremo velut tabem pervenisse ad corpus: ductum se ab creditore, non in servitium, sed in ergastulum et carnificinam esse.* lib. VI. cap. 14. M. Manlius ait: *Ne quem vestrum, Quirites, donec quicquam in re mea supererit, iudicatum addictumve duci patiar.* Apud eundem *nexi* appellantur lib. II. cap. 23. *Nexi vincti solutique se undique in publicum proripiunt, implorant Quiritium fidem.* Duo facit genera vinctorum et solutorum; illi qui in compedibus, alteri qui sine vinculis operas praestabant. Idem lib. VIII. cap. 28. *Eo anno velut*
196 *aliud initium libertatis factum est, quod ligari nexi desierunt.* et rursus eodem cap. *ita nexi, soluti: cautumque in posterum, ne necterentur.* et rursus lib. II. cap. 24. *Hoc proposito edicto, nexi profiteri extemplo nomina.* Quod si qui sine iudicio se ipsi veluti creditoribus addicebant, hi *se nexum dare* et *in nexum ire* dicebantur. Rursum Liv. lib. VII. cap. 19. *Non eadem domi, quae militiae fortuna erat reipublicae. Nam etsi unciario foenore facto levata usura erat, sorte ipsa obruebantur inopes nexumque inibant.* lib. VIII. cap. 28. *Cui quum se Caius Publius ob aes alienum paternum nexum dedisset.* [Haec silentio transit Ruhnken. FR.]

ACT. III. SC. I.

Vs. 20. Palaestra proprie locus gymnasticus, ubi cursu, luctando, hasta, disco, saltu aliisque exercitiis corporis fruebantur, et sic accipitur passim: sed hic ponitur pro loco, ubi quis exercetur alio sensu, nimirum vexatur, cruciatur. Nam Phaedriam hoc angebat, quod cum misere amaret, non posset potiri. Simili translatione hoc vocabulo

utitur Plaut. Bacch. I. 1. 36. [vs. 33.] *Quid ego metuam rogitas? Homo adolescentulus penetrare huiusmodi in palaestram, ubi damnis desudascitur, ubi pro disco damnum capiat, pro cursura dedecus.* Sic et transfertur Rud. II. 1. 7. *Pro exercitu gymnastico et palaestrico hoc habemus. Echinos, lepadas, ostreas, balanos captamus.* ubi piscatores loquuntur. Caeterum quoniam palaestra sive exercitatio pa- 197
laestrica corpora reddebat nitida, culta atque elegantia, inde et perpulchre transfert Cic. ad Brutum orat. cap. 186. [cap. LVI. §. 186.] loquens de numero oratorio. *Numerus autem non domo depromebatur, neque habebat aliquam necessitudinem aut cognationem cum oratione. Itaque serius aliquanto notatus et cognitus quasi quandam palaestram et extrema lineamenta orationi attulit.* et eod. libro cap. 228. [cap. LXVIII. §. 228.] *Ut enim athletas, nec multo secus gladiatores videmus nihil nec vitando caute facere, nec petendo vehementer, in quo non motus hic habeat palaestram quandam, ut quicquid in his rebus fiat utiliter ad pugnam, idem ad adspectum etiam sit venustum.* Ponit igitur palaestram pro ratione quadam et modo venusto et decoro. Sic etiam de leg. lib. I. cap. 2. [§. 6.] *Fannii autem aetati coniunctus Antipater paulo inflavit vehementius, habuitque vires agrestes ille quidem atque horridas sine nitore et palaestra; sed tamen admonere reliquos potuit, ut accuratius scriberent.*

ACT. III. SC. 2.

Vs. 8. Foenerari beneficium est ita dare, ut maius recipias, vel saltem exspectes. Cic. de amicit. cap. 9. [§. 31.] *Ut enim benefici liberalesque sumus, non ut exigamus gratiam, (neque enim beneficium foeneramur) sed natura propensi ad liberalitatem sumus.* Senec. de benef. lib. I. cap. 1. *Deos sequemur duces, quantum humana imbecillitas patitur: demus beneficia, non foeneremur. Dignus est decipi, qui de recipiendo cogitavit, cum daret.* Id. lib. II. 198
cap. 10. *Denique ille nesciat accepisse se beneficium, ego sciam me dedisse. Parum est? inquis. Parum, si foenerari cogitas.* Proprie autem *foenerari pecunias* dicimus, quas in foenus vel sub usuris aliis collocamus. Cic. in Verr. lib. II. cap. 70. [§. 170.] *Idem praeterea pecunias istius extraordinarias grandes suo nomine foenerabatur.*

Vs. 15. Phaleratis dictis aliquem ducere est verbis in speciem honestis aliquem de die in diem differre et nihil re praestare. *Phalerae* sunt equorum ornamenta. Pers. Sat. III. vs. 30. etiam translate usurpat:

Ad populum phaleras: ego te intus et in cute novi.

h. e. externa illa ornamenta corporis et fortunae, quibus

vulgus hominum decipitur, populo in circulis iactato: ego illa non moror, qui te penitus inspicio et ex vi animi aestimo. *Ducere* autem eleganter est *differre*. Sic Caes. de bell. Gall. lib. I. cap. 16. *Diem ex die ducere Aedui, conferri, comportari, adesse dicere. Ubi se diutius duci intellexit* etc. Id. de bell. civ. lib. II. cap. 37. *Castra erant ad bellum ducendum aptissima.* h. e. protrahendum, ut non esset necesse de summa rerum dimicare. Cic. pro Flacco cap. 33. *Non est, mihi crede, corruptus. Quid enim fuit quod ab eo redimeretur? Ut duceret iudicium?*

199 Vs. 23. Ne parum leno sies, hoc est, ne deficias in aliquo, quod lenonem decet, ne minus sis flagitiosus, quam lenones solent esse. Ita eleganter interdum personae ponuntur pro moribus certarum personarum. Sic apud Plaut. Pers. IV. 6. 4. *Ne non sat esses leno, id metuebas miser.* h. e. ne non satis lenonio more ageres. Sic Liv. lib. XXI. cap. 4. *Dein brevi effecit, ut pater in se minimum momentum ad favorem conciliandum esset.* Loquitur de Hannibale; *pater* est nomen paternum, seu gratia et auctoritas patris apud exercitum. Sic Ovid. Metamorph. lib. XII. vs. 29. de Agamemnone deliberante, an filiam suam Iphigeniam pro salute Graecorum sacrificare vellet:

Pietatem publica caussa
Rexque patrem vicit.

h. e. caussa populi plus valuit apud Agamemnonem, quam pietas sive amor erga filiam, et nomen regium plus valuit, quam nomen paternum.

Vs. 27. Mutare cum aliquo fidem. Vide Plaut. Mil. glor. act. IV. sc. 3. [sc. 1. vs. 36.] *Ne istam amittam et haec mutet fidem.* Quod vulgo dicimus *non servare* vel *praestare alicui fidem.* Sic *perdere cum aliquo fidem.* Plaut. Pseud. I. 3. 159. [vs. 142.] *Si tu argentum attuleris, cum illo perdiderim fidem.* Sic *servare cum aliquo fidem.* Curc. I. 2. 46. [vs. 49.] *Tibi nae ego, si fidem servas mecum,*
200 *vineam pro aurea statua statuam.* Mercat. III. 1. 33. *Animus rediit mihi, si mecum servatur fides.*

ACT. IV. SC. 1.

Vs. 1. Quid? qua profectus causa hinc es? Idiotismus notabilis, quo utebantur veteres in interrogando de re aliqua, quem praeclare expressit Cic. in orat. pro Cluent. cap. 26. [§. 72.] *Tum appellat hilari vultu hominem Bulbus, ut blandissime potest: Quid tu, inquit, Paete? Qua de re mecum locutus es? Quaerunt a me, ubi sit pecunia.*

Vs. 21. Ego meorum solus sum meus, id est, neminem inter omnes, qui domi meae sunt, habeo in po-

estate, praeter me ipsum: omnes contra me sunt: omnes lomestici mihi sunt inobedientes, et cum uxore sentiunt. Lusus est elegans in duplici significatione pronominis *meus*, iam et *nostri* dicuntur domestici vel familiares nostri, et dem *nostri* dicuntur, qui nobiscum sentiunt, qui nostra-um sunt partium. Sic apud Tac. VI. Annal. cap. 5. accu-atur Cotta Messalinus, quod dixisset: *Illos quidem Sena-us, me autem tuebitur Tiberiolus meus.* Sic etiam *habere* licimus eosdem, qui pro nobis sentiunt. Sic Cic. ad fam. ib. XIV, ep. 1. *Si omnes tribunos plebis habemus, si Len-ulum tam studiosum, quam videtur, si vero etiam Pompe-um et Caesarem, non est desperandum.*

ACT. IV. SC. 2. 201

Vs. 14. A primo. Sic infra act. IV. 3. 37. *A primo omo insanibat.* h. e. principio. Plaut. Mostel. III. 3. 130. sc. 2. vs. 139.] *Improbiores sunt, quam a primo credidi.* ic. Phil. II. cap. 30. *Sed tamen consilium a primo repre-endendum, laudanda constantia.* h. e. male incepit, sed ene perseveravit. Idem de fin. lib. V. cap. 15. *A primo uidem mirabiliter occulta natura est, nec perspici nec co-nosci potest.* Sen. de benef. lib. II. cap. 11. *Nihil in fru-tum pervenit, quod non a primo usque ad extremum aequa-is cultura prosequitur.*

ACT. IV. SC. 3.

Vs. 9. Id agebam commodum. Notandus usus hu-us adverbii pro eo, quod alias diceremus, nunc ipsum, pportune admodum, iamiam. Sic Plaut. Amph. II. 2. 36. *Fravidam ego illanc hic reliqui, quum abeo.* So. *Ad aquam raebendam commodum adveni domum.* Mercat. I. 2. 116. vs. 106.] *Si isthac abis, commodum obviam venies patri.* ud. II. 6. 32. *Quin tu hinc is a me in maximam malam rucem?* Ch. *Eas! easque res agebam commodum.* Cas. III. . 3. *Sed eccum ante aedes. Ad te hercle ibam commodum.* Cf. Ruhnk. ad Eunuch. II. 3. 51. FR.]

Vs. 23. Sudabis satis, hoc est, satis laborabis, satis iboris et anxietatis habebis. Cic. fam. lib. III. ep. 12. 202
Vides sudare me, iamdudum laborantem, quomodo ea tuear, uae mihi tuenda sunt, et te non offendam. Horat. de art. oet. vs. 241.

Sudet multum frustraque laboret.

ide et poëtae dixerunt *opus sudatum*, in quo scilicet mul-im laboratum est. Sic Claudianus *sudatum thoraca* pro iorace ferreo, qui singulari arte et labore confectus est.

Vs. 31. Satin' illi Dii sunt propitii, h. e. satin'

sanus est, satin' sanam mentem habet? Sic veteres di[cebant], gnari nimirum, Deum illis, quos punire vult, sa[nam] mentem et consilium eripere. Sic supra Andr. IV. 1. *Nescio, nisi mihi Deos satis scio fuisse iratos, qui ausc[ultaverim].* Et sic etiam hac ipsa fabula I. 2. 23. *Mihi [in mentem] venit, hoc scio. Memini relinqui me Deo irato meo.* et Phaedr. fab. 79. [lib. IV. fab. 19. vs. 15.] *Diis ir[atis] natus, qui est similis tui.* Dii enim, quamvis opes darent, non videntur ei dedisse mentem et artem fruendi. Hoc enim quoque Deorum donum putabant. Hor. Ep. I. 4. 17.

Di tibi divitias dederant artemque fruendi.

[Cf. Ruhnk. ad Vell. Pat. II. 57. 3. FR.]

Vs. 38. Nimium quantum. Sic eleganti periph[rasi]
203 dicebant pro simplici *nimium*. Cic. de fin. lib. IV. cap. [§. 70.] *Sed differre inter honestum et turpe nimium qu[an]tum, nescio quid immensum.* Symmachus lib. VII. ep. *Sed nimium quantum avarus es, qui Flaviano meo pr[ae]sente quicquam requiris.* Ammianus lib. XXVIII. *Gra[ssa]tores acerrimi, nimium quantum numero et exquisitis fall[a]ciis abundantes.* Sic etiam *immane quantum.* Horat. Carm. lib. I. od. 27. 5.

Vino et lucernis Medus acinaces
Immane quantum discrepat.

Sall. Hist. lib. II. pagina ultima: *Immane quantum ani[mi] exarsere.* Tac. Hist. lib. III. cap. 62. *Visa caede in despe[]rationem versi, et Flavianus exercitus immane quant[um] animo exitium Valentis ut finem belli accepit.* Sic et *mi[]rum quantum* pro mire vel mirifice. Liv. lib. II. cap. *Id mirum quantum profuit ad concordiam civitatis.* Minu[]tius Felix in dialogo: *Qui per mirum quantum veritati [et] auctoritate sua nocuere. Immensum quantum,* Ammian. lib. 16. *Acumine nimium praestans, immensum quantum memo[]ria vigens. Incredibile quantum,* Iust. lib. VIII. cap. *Incredibile quantum ea res apud omnes nationes Philipp[o] gloriae dedit.* lib. XXXVI. cap. 2. *Quorum iustitia reli[gi]one permixta incredibile quantum coaluere.* Plin. lib. XVI[II] cap. 28. *Ergo per se roscida luna, quoties alget, infi[ni]tum quantum illo tempore cadentes pruinas congelat.*

204 Vs. 75. Fructum quem reddunt praedia. Voca[bant] veteres non proprie tantum fructum, qui terra nascitur sed quemvis reditum, et quidquid sive fructibus vendendi sive ex alia re pecunia colligitur. Sic Catull. carm. III.

Firmano saltu non falso Mentula dives
Fertur, qui tot res in se habet egregias,
Aucupia omne genus, pisces, prata, arva ferasque;
Nequicquam: fructus sumtibus exsuperat.

hoc est, plus in eum saltum impendit pecuniae quam inde redigit. Cic. in parad. VI. cap. 3. *Capit ille ex suis praediis sexcenta sestertia, ego centena ex meis; illi aurata tecta in villis et sola marmorea facienti, et signa, tabulas, supellectilem et vestem infinite concupiscenti, non modo ad sumtum ille est fructus, sed etiam ad foenus exiguus. Ex meo tenui vectigali, detractis sumtibus cupiditatis, aliquid etiam redundabit.* Dicit illi homini reditum sive fructum ex splendidis praediis non tantum angustum esse et non sufficere ad sumtum quotidianum, sed ne tantum quidem confici, unde usurae possunt pendi pro pecunia mutua accepta. Ibidem orat. II. in Cat. cap. 8. *Quod si maturius facere voluissent, neque (id quod stultissimum est) certare cum usuris, fructibus praediorum; et locupletioribus his et melioribus civibus uteremur.* Elegantissime dictum est *certare cum usuris fructibus praediorum.* Nimirum pecunia foenori accepta 205
emere et instruere agros vel praedia, et sperare te ex illis agris posse tantam redigere, ut usuris pendendis sufficias: cum tamen agri nunquam dent tantum reditus, quantum usurarum nomine est pendendum.

ACT. IV. SC. 4.

Vs. 1. Emungere aliquem argento. Sic Plaut. Bacch. IV. 4. 50. *Emungam hercle hominem probe hodie, ne id nequidquam dixerit.* et eadem fab. V. 1. 15. *Me hoc aetatis ludificari; immo aedepol sic ludos factum cano capite atque alba barba, sic miserum me auro esse emunctum.* Mostell. V. 1. 60. *Probe me emunxti.* Tr. *Vide sis satin' recte? Num mucci fluunt?* Th. *Imo etiam cerebrum quoque omne e capite emunxisti meum.* Epid. III. 4. 51. [vs. 57.] *Euge, euge, Epidice, frugi es; homo es, qui me emunxisti.*

Vs. 5. Rem alicui rediisse ad restim, hoc est, periisse ita, ut nihil supersit, quam restim sumere ac se suspendere. Plaut. Poen. I. 2. 189. [vs. 184.] *Capias restim, ac te suspendas cum hero et vostra familia.* Pseud. I. 1. 81. [vs. 86.] *Sed quid de drachma facere vis?* Ca. *Restim volo mihi emere.* Ps. *Quamobrem?* Ca. *Qui me faciam pensilem: certum est mihi ante tenebras persequi tenebras.* Hinc etiam solebant nonnunquam in tabulis testamenti, quibus 206
magnum vellent, scribere, se illis relinquere clavum et restim, qui se suspenderent. Mart. lib. IV. ep. 69. [ep. 70.]

Nihil Ammiano praeter aridam restem
Moriens reliquit ultimis pater ceris.

Scholiastes antiquus Horatii ad lib. I. ep. 8. „Luthienus Theon libertinus dicacitatis amaritudine praeter ceteros ita patronum suum exasperavit, ut domo eius submoveretur, et legato iuberetur *restem sibi palumque emere.*" In inscriptio-

nibus antiquis: *Arimeto liberto, cuius dolo filiam amisi, restem et clavum, unde sibi collum alliget.* et in alia inscriptione: *Hic stigmata aeterna Aetae libertae scripta sunt venerariae et perfidae, dolosae, duri pectoris, clavum et restem sparteam, uti sibi collum alliget.*

Vs. 9. E tranquillo in scopulum aliquem inferre, ex expedito aliquem impeditum reddere. Translatio a re nautica; nam quae in scopulum vehuntur, naves pereunt. Simili translatione *ire ad scopulum* pro *ad interitum*, apud Lucret. lib. II. vs. 1170.

Nec tenet omnia paulatim tabescere et ire
Ad scopulum spatio aetatis defessa vetusto.

Liv. lib. XXXVIII. cap. 10. *Tum illam tempestatem coortam, quae ad Antiochum eos sicut in scopulum intulisset.* Sic
207 Pompeium eleganter Petronius Arbiter vocat *scopulum piratarum*, ad quem scilicet illi allisi perierunt et coerciti sunt, Satyr. 442. 3.

Ille tremor ponti, saevi quoque terror Hydaspis,
Et piratarum scopulus.

Sic Lucium Cassium iudicem severum et strictum dixerunt *scopulum reorum*, quod fere omnes condemnaret. [Cf. Val. Max. III. 7. 9.]

Vs. 10. Tangere ulcus est mentionem facere rei ingratae, quae audita dolorem et nauseam creat. Translatio est ab hominibus ulcere obsitis aut vomica, quas scilicet propter dolorem tangi nolunt. Sic Plaut. in Pers. II. 5. 11. *Quid hoc hic in collo tibi tumet?* Sa. *Vomic' est; pressare parce; nam ubi quis mala tetigit manu, dolores cooriuntur.* Utique Chirurgi solent ea manu suspensa et parcente tractare; unde etiam translatione facta *manu parcente* et *pendente* dicimur tractare, si quam rem invidiosam, leviter mentione eius facta, transeamus. Latinus Pacatus in Pan. Theodosio A. inter veteres Panegyricos, Antwerpiae 1599. apud Ioannem Moretum pag. 3. lin. 6. *Faciam ergo, quod praestantes scientia medicos saepe vidi aliorum vulnerum cicatrices, postquam cutem sanitate duxerunt, manu pendente tractabo.* Eumenius Panegyr. inter veteres ut supra pag. 10. lin. 15. in Constantinum: *Quid faciam igitur, ut tam profunda vulnera suspensa manu tractem?* i. e. ut res acerbas memoratu perstringam.

208 ACT. IV. SC. 5.

Vs. 2. [Act. V. Sc. 1. vs. 30.] Forte temere. Non temere est quod Ter. haec duo vocabula coniungit. Sic enim Liv. lib. XXIII. cap. 3. *Clausos omnes in curiam accipite, solos, inermes: nec quicquam raptim aut forte temere*

geritis. lib. XXV. cap. 38. *Nec huius occasionis spem, mi-es* [milites], *forte temere, sed ex re ipsa conceptam habeo.* ib. XXXIX. cap. 15. *Maiores vestri, ne vos quidem, nisi cum aut vexillo in arce posito comitiorum causa exercitus ductus esset, aut plebi concilium tribuni edixissent, aut ali-uis ex magistratibus ad concionem vocasset, forte temere oire noluerunt.* lib. XLI. cap. 2. *Una vox audiebatur ad are vocantium. Id forte temere ab uno exclamatum totis assim personabat castris.*

ACT. V. SC. 1. [2.]

Vs. 3. **Ita fugias, ne praeter casam, quod aiunt.** 'roverbium quod varie interpretatur Donatus: *Hoc est, e praetereas casam, quae sit tibi tutissimum receptaculum.* 'almerius vult legi *praeter cassam*, itaque scriptum esse ro *capsam:* quasi monerentur servi fugitivi, ita fugerent, e capsam velut praesidium fugae relinquerent. Puto pro-erbium esse rusticum inter ergastula natum, quae duo ocabula indicant *fugere* et *casa.* Haec autem ruri esse, llud servorum fugitivorum intelligitur. Qui fugiebant, ut i prudenter ac tuto facerent, ex remoto ultimo et inob-ervato loco agri evadebant. At ipsam casam sive villam 209 raeterire velle, qui fugam pararet, temerarium, immo tultum esset. Quid enim haberet exspectandum aliud, uam aut in domini aut in villici aut alicuius observantium amiliarium manus incideret, et manifesto in noxa tenere-ur? Proprie igitur hoc proverbio consilium datur fugi-ivo, si fugam paras, ita institue, ut casa domini tibi non it praetereunda: satis periculi et audaciae est fugere, ne llam temeritatem addas et periculum duplices praetereundo asam. Id autem proverbium usurpatur in aliis transfer-urque quotiescunque audaci vel pravo consilio aliud nihilo ninus audax et pravum adiungitur et continuatur. Ut hic rave erat consultum, quod non expeteretur ultio et poe-a a parasito pro illata iniuria, quod ei impune esset, dolescentem circumvenisse nuptiis: ecce aliud adiungitur ihilo rectius, quod eadem iniuria redimitur pecunia: hoc liud peccatum et nova alea est. Huic subiungit senex: *Nonne id satis erat, accipere ab illo iniuriam? Etiam ar-entum est ultro obiectum.* Ut qui praeter casam fugit, idetur se perdere et velle capi: sic qui pro iniuria accepta ecuniam solvit, alteram iniuriam videtur invitare.

Vs. 15. **Versura solvere est**, quod debes, pecunia liunde foenori accepta solvere. Ita creditor mutatur, de-itum manet. *Versura* idem plane est Latinis quod foe-us. Tac. Ann. lib. VI. cap. 16. *Vetus urbi foenebre malum seditionum discordiarumque creberrima caussa; eoque co-* 210

hibebatur antiquis quoque et minus corruptis moribus. Nam primo XII tabulis sanctum, ne quis unciario foenore amplius exerceret, cum antea ex libidine locupletium agitaretur: dein rogatione tribunicia ad semuncias redacta; postremo vetita versura. hoc est, vetitum foenus vel vetitum foenerari. Hinc *versuram facere* simpliciter est pecuniam foenori accipere, mutuum accipere sub usuris. Cic. pro Coel. cap. 7. [§. 17.] *Versuram nunquam omnino fecit ullam.* Id. ad Att. lib. V. ep. 21. [§. 8.] *Salaminii cum Romae versuram facere vellent, non poterant.* Cornel. Nep. Att. cap. 2. *Cum enim versuram facere publice necesse esset, neque eius conditionem aequam haberent, semper se interposuit, atque ita, ut neque usuram unquam ab iis acceperit, neque longius, quam dictum esset, eos debere passus sit.* Idem in eod. Att. cap. 9. *Quin etiam cum illa fundum secunda fortuna emisset in diem, neque post calamitatem versuram facere potuisset; ille se interposuit, pecuniamque sine foenore sineque ulla stipulatione ei credidit.* Aliud est *versura solvere.* Cic. ad Att. lib. V. ep. 1. *De Oppio factum est, ut volui, et maxime, quod octingenta aperuisti: quae quidem ego utique vel versura facta solvi volo; ne extrema exactio nostrorum nominum exspectetur.* et eodem lib. ep. 15. *Quaeris quid hic agam? Ita vivam, ut maximos sumptus facio. Mirifice delector hoc instituto. Admirabilis abstinentia ex praeceptis tuis; ut verear, ne illud, quod tecum permutavi, ver-*
211 *sura mihi solvendum sit.* lib. I. Tusc. quaest. [cap. 42. §. 100.] *Ego vero illi maximam gratiam habeo, qui me ea poena multaverit, quam sine mutuatione et sine versura possim dissolvere.* Est ergo idem *mutuatio* quod *versura.* Hinc igitur per translationem *versura solvere* dicitur de eo, qui dum expedire se conatur, magis impedit, atque in eodem ludo haereat.

ACT. V. SC. 2. [3.]

Vs. 5. **Tutari indiligenter praedia.** Sic *tueri aedem* apud Cic. in Verr. lib. I. cap. 50. *Aedem Castoris, iudices, P. Iunius habuit tuendam, L. Sulla, Q. Metello coss.* Sic etiam *tutela* vocabulum apud Plin. lib. II. ep. 12. *Villa usibus capax, non sumptuosa tutela.* Sic et iurisconsultus in lib. VII. ff. ad legem Iuliam repetundarum, *sarta tecta tuenda*, h. e. ut aedificia et tecta salva essent et nulla parte interirent.

Vs. 7. **Statim ex praediis capere talentum,** hoc est, perpetuo, perseveranter et aequaliter, ut interpretatur Nonius. Sic et Plaut. Amph. I. 1. 73. [vs. 83.] *Sed in fugam se nemo tamen convertitur; nec recedit loco, quin statim rem gerat.* et eadem scena vs. 115. [vs. 120.] *Ita*

statim stant signa, neque nox quoquam concedit die. Nonius ex Ennio: *qui rem cum Achivis gesserunt statim.*

Vs. 17. Esse cordi alicui. Phrasis, qua valde delectatur Liv. lib. VI. cap. 9. *Credo rem Antiatem diuturniorem manere Diis cordi fuisse.* h. e. Diis placuisse. eod. lib. cap. 20. *Violatum Capitolium esse sanguine servatoris, nec Diis cordi fuisse poenam eius oblatam prope oculis suis, a quo sua templa erepta e manibus hostium essent.* lib. VIII. cap. 7. *Si ad Regillum lacum ad satietatem vestram pugnavimus, hic quoque efficiemus profecto, ne nimis acies vobis et collata signa nobiscum cordi sint.* lib. IX. cap. I. *Satis scio, quibuscunque Diis cordi fuit, subigi nos ad necessitatem dedendi res, quae a nobis ex foedere repetitae fuerant, iis non fuisse cordi tam superbe ab Romanis foederis expiationem spretam.* 212

ACT. V. SC. 3. [4.]

Vs. 7. Ostendere spem. Sic Cic. pro Cluent. cap. 8. [cap. 7. §. 22.] *Cum unius filii recuperandi spes esset ostentata.* Liv. lib. XXXIV. *Stat sententia non minuere copias, et ne quid interim hostes inferant ignominiae, sociis spem pro re ostentandam censet.* Sic supra in Eun. *ostendere occasionem.*

ACT. V. SC. 4. [5.]

Vs. 2. Emittere manu. Proprie dicebantur domini servos emittere manu, quibus libertatem dabant, atque 213 ita eos e potestate sua dimittebant. Etenim *manus* hic significat potestatem. Plaut. Capt. II. 3. 48. *Nunquam erit tam avarus, quin te gratis emittat manu.* Cic. fam. lib. XIII. ep. 77. *Dionysius servus meus, qui meam bibliothecam multorum nummorum tractavit, cum multos libros surripuisset, nec se impune laturum putaret, aufugit: is est in provincia tua. Eum et M. Bolanus, familiaris meus, et multi alii Naronae viderunt; sed cum se a me manumissum esse diceret, crediderunt.* Hinc etiam *manumissio* dicebatur, qua servis libertas concedebatur, de qua multa in lib. iuris.

ACT. V. SC. 5. [6.]

Vs. 9. Vincere aliquem odio, hoc est, odiose instando alicui et molestiam exhibendo extorquere ea quae velis. Sic apud Horat. lib. I. Sat. 7. vs. 6.

Durus homo atque odio qui posset vincere regem.

Vs. 16. Delibutus gaudio. Translatio est desumpta a lauticiis corporis, inter quas erat unctio. *Delibutus* enim idem quod unctus proprie. Horat. Epod. carm. III. vs. 13

Hoc delibutis ulta donis pellicem,
Serpente fugit alite.

Loquitur de Medea, quae pretiosam tunicam incantitis medicamentis unctam munus misit Creusae, Creontis regis
214 filiae, quam illa quum induisset, combusta est. Plaut. Poen. I. 2. 55. meretrices dicit *caeno delibutas* et Trucul. IV. 4. 1. *lutea* dicitur.

Vs. 23. Resupinare aliquem est retro trahendo facere, ut vultu aliquis coelum spectet; contrarii enim situs sunt *proni* et *supini*. Apud Horat. Serm. lib. I. Sat. 5. vs. 19. *Stertitque supinus,* qui videlicet in tergum iacens vultum habet sursum versum. Sic *supinae manus* precantium, quae in coelum eriguntur. Unde idem Horat. Carm. lib. III. od. 23. vs. 1.

Coelo supinas si tuleris manus.

et apud Liv. *supinis manibus orare.* Appul. in excerptis lib. VIII. pag. 839. *Nudatum supinatumque iuvenem flagitabant.* [Tacet de h. v. Ruhnken. FR.]

Vs. 27. Suspenso gradu ire. Sic Virgil. in carm. quod inscripsit Cyris [vs. 212.]

Tum suspensa levans digitis vestigia pronis.

Ovid. VI. Fast. vs. 338.

Et fert suspensos corde micante gradus.

Ambrosius de virginibus lib. III. pag. 27. *Nulla pedem retulit, nulla suspendit incessum, nulla tentavit, uti gressum figeret. Suspendere gressum* est timide et lente gressum figere.

215 Vs. 38. Patruus intus egreditur foras, hoc est, e domo, ex interiore parte aedium. Sic Plaut. Amph. II. 2. 134. *Tu te Thessala intus pateram proferto foras, quam hodie meus vir donavit me.* Sic etiam Bacch. act. I. sc. I. vs. 70. [vs. 62.] *Ego tibi argentum iubebo iam intus efferri foras.* [Nulla h. l. comparet Ruhnkenii adnotatio. FR.]

ACT. V. SC. 6. [7.]

Vs. 9. Recipere interdum idem est quod promittere, polliceri. Sic Cic. fam. lib. I. ep. 9. *Quid egisset saepissime de actis Caesaris cum ipso meo fratre, quidque sibi is de me recepisset, in memoriam redegit.* hoc paullo ante dixit Cicero *spopondisset.* lib. V. ep. 8. *Has litteras velim existimes foederis habituras esse vim, non epistulae, meque ea, quae tibi promitto ac recipio, sanctissime esse observaturum, diligentissimeque esse facturum.* Phil. V. cap. 18. [extr.] *Promitto, recipio, spondeo, patres conscripti, Caium Caesarem semper talem fore civem, qualis hodie sit, qualemque eum maxime esse velle et optare debemus.* [Cf. Ruhnk. ad Heaut. V. 5. 12. FR.]

Vs. 71. **Gladiatorio animo aggredi aliquem**, hoc est, animo plane desperato, ita ut perdere alium velis aut perire; quo nempe animo, quaque necessitate gladiatores concurrebant. Eodem sensu dicebant, *gladiatoria desperatione pugnare.* Et ipsa voce *gladiator* pro convicio utebantur in homines audaces et facinorosos. Cic. Philipp. II. 216
cap. 29. [extr.] *Proficiscitur in Hispaniam Caesar: ne tum quidem sequeris: tam bonus gladiator rudem tam cito accepisti?* Honestius dixisset, tam bonus miles tam cito vacationem accepisti: sed voluit conviciari. eadem Philipp. cap. 41. [§. 106.] *Praesertim cum duos secum Anagninos haberet, Mustelam et Laconem, quorum alter gladiatorum est princeps, alter poculorum.* Philipp. III. cap. 12. *Ille autem ex mirmillone dux, ex gladiatore imperator, quas fecit strages, ubicunque posuit vestigia.* loquitur de L. Antonio, M. Triumviri fratre. et Philipp. V. cap. 11. [cap. 7. §. 20.] de eodem: *Etenim aderat Lucius frater gladiator Asiaticus, qui mirmillo Mylasis depugnarat; sanguinem nostrum sitiebat, tuum in illa gladiatoria pugna multum profuderat.* Haud dubie intelligit tumultum aliquem aut seditionem per Lucium in illa urbe excitatum, in quo quidam homines fuerint occisi. Ut autem Ter. *gladiatorium animum* attribuit senibus, sic *gladiatorium corpus* Cicero M. Antonio Phil. II. cap. 25. [§. 63.] *Tu istis faucibus, istis lateribus, ista gladiatoria totius corporis firmitate, tantum vini in Hippiae nuptiis exhauseras, ut tibi necesse esset in populi Romani conspectu vomere postridie.* Etenim largius alebantur gladiatores, ut corpora haberent athletica, firma, pulchra. Hinc Cyprianus in libro ad Donat. de gratia Dei cap. 5. *Paratur gladiatorius ludus, ut libidinem crudelium luminum sanguis oblectet. Impletur in succum cibis fortioribus corpus, et arvinae toris membrorum moles robusta pinguescit, ut saginatus in poenam carius pereat.*

Vs. 78. **Femina primaria.** Sic Plaut. Rud. IV. 4. 36. 217
[vs. 29.] *Quoad primarius vir dicat, comprime hunc, si tuus est.* Mil. III. 1. 70. *Vel hilarissimum convivam hinc indidem expromam tibi, vel primarium parasitum atque obsonatorem optimum.* Sic *primaria conditio* pro honestissimo coniugio in Stich. I. 2. 76. [vs. 81.] *Quin vos capitis conditionem ex pessima primariam.* [Nihil de adiectivo *primarius* h. l. dictavit Ruhnkenius. FR.]

Indices

qui sequuntur confecit unus ex familiaribus nostris, Frid. Ed. Ienicke, Lipsiensis, adolescens animi candore pariter atque ingenii docilitate optimarumque artium amore nobis inprimis probatus: qui ut hoc opere suscepto gratificari ac sese commendare harum amatoribus litterarum voluit, ita nos quidem facere non possumus quin omni eum benevolentia et patrocinio quam dignissimum esse profiteamur.

C. H. F.

I.

INDEX SCRIPTORUM QUORUM LOCI TRACTANTUR

— PAGINAE SUNT OXON. EDITIONIS —

II.

INDEX VERBORUM ET FORMULARUM

Os, impudentia 70. [Cic. pro Deiot. I. §. 3. *Fugitivi autem dominum accusantis quum os videbam, quum verba audiebam.* Id. ep. fam. X. 8. *Nosti enim profecto os illius adolescentioris Academiae.* Ibid. V. 10. *Si mehercules Appii os haberem.* Ovid. Met. V. 451. *Duri puer oris et audax.*]

Os, conspectus 102. [Tacit. Hist. III. 77. *Iulianus ad Vitellium perductus in ore eius iugulatur.* Sic Lipsius ad Tac. Hist. III. 26. ex coniectura dedit *in ore vulgi*, quum vulgo legeretur *more vulgi*, eamque ipsam coniecturam confirmant codd. Flor. et Agr. Cf. Flor. II. 15. 7. *Sub ipso ore urbis.*]

Os praebere, pati multum 125. [Liv. IV. 35. *Petiisse viros domi militiaeque spectatos, risui patribus fuisse, desiisse postremo praebere ad contumeliam os.*]

Ostendere spem 212.

Otium sequi vid. Sequi.

Palaestra 196.

Palma signum victoriae 72. [Liv. X, 47. *Eodem anno* (a. u. 461. L. Papirio Cursore, Sp. Carvilio Max. coss.) *coronati primum ob res bello bene gestas ludos Romanos spectaverunt, palmaeque tum primum, translato e Graecia more, victoribus datae.* quem locum comparat Matth. ad Cic. pro Rosc. Am. §. 17. Cf. Plaut. Mostell. I. 1. 31. *Is nunc in aliam partem palmam possidet.* i. e. ceteros superat.]

Pannus pro vestimento lacero 44. [Senec. de Ira III. 19. *Cum spongiae non invenirentur, scindi vestimenta miserorum et in os farciri pannos imperavit.* Lucret. VI. 1266.

Multaque per vias —
Languida semianimo cum corpore membra videres
Horrida paedore et panneis cooperta.

Similiter Iustin. de Codro II. 6. extr. *Permutato regis habitu, pannosus, sarmenta collo gerens castra hostium ingreditur.*]

Par, adversarius 124. [Liv. IX. 19. *Militaria opera pugnando obeunti Alexandro cessisset videlicet in acie oblatus par Manlius Torquatus.* Idem libro XXII. cap. 27. *Minutius gloriari: Illum in rebus asperis unicum ducem ac parem quaesitum Hannibali.* Cf. Gron. observ. I. 23. pag. 96. ed. Fr.]

Parare se ita 36.

Pars, officium, negotium 81. sq. [Cf. Cornel. Dion. VIII. 3. *Tali consilio probato excepit has partes ipse Callicrates.* ad Att. VII. 26. *Sin erit bellum, ut video fore, meae partes non desiderabuntur.* ad fam. XI. 14. *Id si ita est, omnia faciliora: sin aliter, magnum negotium, cuius exitium non extimesco; tuae partes sunt.*]

III.

INDEX GRAECORUM

		ERRATA	CORRIGE
Pag. 5.	vs. 41.	relut	velut
— 23.	— 10.	uod in ope e	Quod in opere
— 80.	— 11.	Ochner	Ochsner.
— 86.	— 21.	abiicere	obiicere

TYPIS EXPRESSIT THEOD. HOEHM
LIPS.



